

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

SAEC. XV—XVI.

BARTHOLOMAEUS FONTIUS

EPISTOLARUM LIBRI III.

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXI.

HUNGARIA: KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

ITALIA: MESSAGGERIE ITALIANE, BOLOGNA (FIRENZE,
GENOVA, MILANO, NAPOLI, ROMA, TORINO)

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

SAEC. XV—XVI.

BARTHOLOMAEUS FONTIUS

EPISTOLARUM LIBRI III.

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXI.

HUNGARIA: KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST
ITALIA: MESSAGGERIE ITALIANE, BOLOGNA (FIRENZE,
GENOVA, MILANO, NAPOLI, ROMA, TORINO)

Jq krt

114.947



PRAEFATIO.

Epistolae Bartholomaei Fontii aliis compluribus operibus iam saeculis XV. et XVI. editis nunc primum, cum aliquot earum excudebantur, omnes Latine scriptae in publicum prodeunt, quas et ipse collegit.

In scriptura, quae in scriptoribus Latinis edendis usitata est, nos plerumque adhibuimus, quae maxime ad Fontium referuntur. Quas variantes in Scriptura collegimus.

In Annotationibus Criticis nempe omnes variantes lectiones solis minimis et in manuscriptis et in editionibus apparentibus mendis relictis congerebantur.

Dabam Szegedini, in Hungaria, a. MCMXXX., mense Octobri.

L. J.

INTRODUCTIO.

De vita operibusque Bartholomaei Fontii.¹

Vita. Bartholomaeus Fontius (Bartolomeo Fonzio, B. della Fonte) a. 1445. natus creditur. Aetate iuvenili miseram vitam agens maximo cum studio studiis humanisticis operam dedit. Florentiae Landinus et Argyropylus magistri eius erant, mox Nuthius. Maxima vi a Cennino afficiebatur. Latinam et Graecam linguas haud mediocriter scivit. Coniuratione contra Petrum Medicem facta et Fontius Ferrariam abiens relinquit Florentiam, ubi Borsium Estensem ducem sibi conciliavit et usque ad mortem eius (a. 1471. die 20. Augusti) in ista urbe moratur. Florentiam reversus amicitia iungebatur imprimis Petro Garasda, qui Fontium in Hungariam vocavit. Quod coniuratio anno eodem a Iohanne Vitez de Zredna et Iohanne (Iano) Pannonio facta irritum fecit. Dehinc Florentiae commoratur. A. 1481. ibidem in locum Francisci Philelphi professor eligitur. Ubi Politianus ei amicissimus fit, brevi autem ex amicis inimici facti sunt et Fontius Romam ire cogitur. Sixtus IV. pontifex maximus Fontium professorem artis oratoriae elit, sed spe falsus iterum Florentiam auxilium Laurentii Medicis implorans revertitur, ubi ab a. 1485. docet. Ab Ugoletto, qui Budae bibliothecarius Bibliothecae Corvinae erat, Mathiae regi commendatur et a. 1489. nonnullos menses custos eiusdem bibliothecae in Hungariae moratur. Florentiam rediens mox Pelagum sacerdos recedit. Deinde Ghiaccetum it, paulo post a. 1493. plebanus in templo Ioannis Baptistae Montemurlensi fit. A. 1511. Florentiam revertitur, ubi a. 1513., mense Octobri moritur. In templo Montemurlensi, sicut ipse optabat, tumulatur.

¹ De Bartholomaeo Fontio profusius scripsit Conceptus Marchesi: Bartholomeo della Fonte (Bartholomaeus Fontius). Contributo alla storia degli studi classici in Firenze nella seconda metà del quattrocento. Catania, 1900. — Praeterea secundum hunc librum Stephanus Hegedüs: Bartolomeo della Fonte. (Bartholomaeus Fontius.) Irodalomtörténeti Közlemények, 1902. (XII.), pag. 1—19.

Opera maioris momenti: Carmina. — Commentaria in Iuvenalem, Livium, Persium, Valerium Flaccum. — Editio princeps operis A. Cornelii Celsi. — Epistolae. — Interpretationes. — Orationes. — Vitae nonnullorum clarorum virorum.

De epistolis et codicibus editionibusque earum.

Epistolae Fontii ab anno 1467. (I. 1.) usque ad mortem eius scriptae permultae ad nostram aetatem remanserunt, quas ipse collegit fortasse ea de causa, ut postea ederentur. Quae collectio epistolarum hoc modo componi videtur: Fontius epistolam, antequam ad aliquem scripsisset, in libro quodam composuit et deinde ex eo plerumque multis locis mutatis denuo singulas epistolas descripsit; ex quibus solam noscimus, et quidem epistolam 17. lib. I. in codice *M*; praeterea ex his singulis duae derivari videntur, scilicet ep. 9. lib. I. in codice *N* et ep. 14. lib. II. (*i*), duae vero alterae ab ipso Fontio suis operibus insertae apparent: II. 11. (*W*) et III. 7. (*VWp*).

Partem epistolarum, quarum ultima II. 18. est, Amerigo Corsino dedicavit, qui codex dedicatorius *B* esse videtur (ex hoc autem codice postea J. Antonius Calexius eximens folium dedicationem et initium epistolae 1. continens manuscriptum Andreae Gambaro dedicavit). Deinde Fontius epistolas paulatim auctas ante omnes epistolas hanc dedicationem collocando in tres libros divisit, de quo codice post mortem Fontii describebatur *F*, qua de causa dedicationem nos quoque ante primum librum ponendam optimum esse putavimus.

Usque ad epistolam 18. lib. II., quia meliores lectiones ab ipso Fontio, ut credimus, correctas habet, codici *B* magnum momentum attribuimus. — Codicem *N* epistolam 9. lib. I. continentem, quamquam de epistola ab ipso Fontio scripta derivari videntur, maioris momenti esse non habuimus. — In epistola 11. lib. II. variantes paene omnes codicis *W*, quem ipse Fontius Mathiae regi descriptis, accepimus. — II. 14. Quamquam editiones de epistola ipsius Fontii derivari videntur, cum inserebatur in operibus Iohannis Pici Mirandulae, tamen, quia codicem non habemus, codicibus *B* et *F* praeponere noluimus. — Fontius a. 1472. Francisco Saxetto (*VWp*), post autem annum 1510. Francisco Riccio scripsit

eandem epistolam 7. lib. III. compluribus locis commutatis (*F*). Quia limam ultimam plerumque maioris momenti esse statuimus, variantibus lectionibus codicis *F* maiorem momentum attribuimus.

DE CODICIBUS EPISTOLARUM.

Codices eo ordine, ut quisque plus epistolarum habet, ordinantur.

F — Florentia. Bibliotheca Nationalis. Palat. Cappon. 77., chart., epistolae in foliis 36. — Codex omnes epistolas Fontii continet; in fine quaedam interpretatio eius invenitur. Codicem post mortem Fontii a. 1514. Franciscus Baroncinus descriptis; in fine (36r) legitur: Copiate dall'originale adi III digennaio 1513 alfiorentino circa hora quindecima. Ante codicem quatuor folia innumerata sunt, quortum 4v opera Fontii enumerat. — Ex hoc codice nonnulli versus excerpti inveniuntur Florentiae in Bibliotheca Marucelliana in codice A. 117., parte 14.

B — Bononia. Bibliotheca Universitatis. Numerus: 2382.² chart., fol. 36. — Fontium Corsino dedicasse codicem puto. Primum enim folium deest, cuius loco alterum secunda manu descriptum addebatur hoc carmen dedicatorium continens (fol. 1v):

J. Antonius Calexius

ad reverendissimum dominum vicarium d. Andream Gambarum.

Accipe, parva licet nostrae sint munera dextrae,
Si mentem species, maxima dona feres.
Nobilitat munus, sic fertur, recta voluntas,
Qua misero mihi, te compreco, ipse fave.
Nunc tua componet nostros clementia vultus,
Si foveat gremio Calliopea tuo.
Quo sacer usque locus virtutum regnat ubique,
Sanctarum et legum dogmata clara sedent.

Deinde pars epistolae 1. lib. I. usque ad verbum *et sententiae* 4. descripta est. Quia autem hic codex tot epistolarum (ultima est ep. 18. libri II.) continet, quot Fontius dedicatione ad *Corsinum* a. 1496. scribenda mittere potuit, in folio 1., quod

² In catalogo codicum typis excuso (Lodovico Frati: Indice dei codici latini conservati nella R. Biblioteca Universitaria di Bologna. Estr. dai voll. XVI. 103—432. e XVII. 443—603. degli Studi italiani di filol. classica. Firenze, 1908—09.) numerum currentem 1206. habet.

evulsum est, dedicatio Fontii, quae ad nos e codice *F* remansit, erat et in cuius loco deinde Calexius supra citatum versum dedicatorum inscripsit. — In fine tria folia desunt, et quidem 31., 32., 33., quibus autem quatuor supplebantur corrigendo folium 34. in 35. et 35. in 36.; codex igitur folia 35 habuerat. Quibus tribus foliis deperditis e libro II. hae epistolae perierunt: 11. (7. *Romae*—usque ad finem), 12—15., 16. (1—usque ad 2. *dum*).

M — Venetiae. Bibliotheca Marciana. Cl. XII. numero 135. Coll. 4100. — Codex continet carmina Baptistae Guarini et Iani Pannonii a Guarino Baptista conscripta. In fine libri manuscripti impacta est epistola in charta scripta manu Fontii ad Baptistam Guarinum scripta (I. 17.) una cum quadam epistola Nicolai Heinfuss. (fol. 126.) Epistola Fontii in folio 125r—v et titulus 127v invenitur.

V — Vindobona. Bibliotheca Nationalis. Cod Lat. 292., membran. — Codex continet commentarium Fontii in Persium poetam Laurentio Medici dicatum. Qui codex manuscriptus olim in Bibliotheca Corvina³ collocatus erat. In fine libri manuscripti (117v—122r) est epistola 7. lib. III. ad Franciscum Saxettum, in codice *F* et apud nos ad Franciscum Riccium missa.

W — Wolfenbuttel. Bibliotheca Ducis Augusti. Num. Aug. 43., membr. — Codex totus ab ipso Fontio Mathiae regi dedicante describebatur et in Bibliotheca Corvina inscribebatur.⁴ In quo libro manuscripto duae epistolae Fontii inveniuntur, et quidem ad Mathiam regem scripta (II. 11., fol. 1r—3r) et ad Franciscum Saxettum in codice *F* et editione nostra ad Franciscum Riccium scripta (III. 7., 114v—118r).

³ Vide: Editio Hungarica: Bibliotheca Corvina. Mátyás király Budai könyvtára. Írták: † Fraknói Vilmos, Fógel József, Gulyás Pál, Hoffmann Edith. Szerkesztettek Berzeviczy Albert, Kollányi Ferenc, Gerevich Tibor. Budapest, 1927., pag. 61., cod. 19. — Editio Italica: Bibliotheca Corvina. La Biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. † Guglielmo Fraknói, Giuseppe Fógel, Paolo Gulyás, Edit Hoffmann. Per cura di Alberto Berzeviczy, Francesco Kollányi, Tiberio Gerevich. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Budapest, 1927., pag. 79, cod. 117.

⁴ Ibidem in editione Hungarica pag. 75., cod. 145., in editione Italica pag. 83., cod. 146.

N — Florentia. Bibliotheca Nationalis. Magliab. VI. 166. (366.) chart., saec. XV. — In codice (fol. 115v) invenitur epistola 9. lib. I. ad Donatum Acciaiolum scripta. Folio, quod sequebatur, deperdito caremus fine epistolae (3. *te*—usque ad finem).

DE EDITIONIBUS EPISTOLARUM.

E — Editiones satirarum A. Persii Flacci, quarum finibus adicitur epistola 7. libri III., sicut in codice V. — Saeculis XV. et XVI. satirae Persii cum commentariis Fontii saepe numero edebantur adiunotis etiam aliorum commentariis. Primum a. 1477. Florentiae apud Sanctum Iacobum de Ripoli excudebatur.³ — Quarum editionum permultas vidimus contulimusque, variantes autem lectiones non separatim, sed summatim in annotationibus criticis nostris inseruimus littera *p* significantes, quae igitur littera nunc solam quandam, nunc nonnullas editiones notat.

i — Editiones operum Iohannis Pici Mirandulae. — In operibus Pici in fine saeculi XV. et saeculis XVI. saepe numero excusis inter epistolas ab aliis quoque scriptas invenitur epistola Fontii ad Robertum Salviatum scripta (II. 14.). Primum Benedictus Hectoris a. 1495. Bononiae impressit.⁴ — Permultae editiones a me collatae sunt, littera autem *i* non semper omnes, sed nonnunquam solam editionem significat. — Io. Csontosi⁵ memorat quendam librum manuscriptum signatura non apposita in Bibliotheca Riccardiana Florentiae asservatum, qui hanc epistolam continuerit; non vidimus.

r — Georgius Remus⁶ a. 1621. edidit Francofurti opera Fontii, quae codex Wolfenbuttelae asservatus (*W*) continet, id est II. 11. (pag. 1—5.) et III. 7. (pag. 257—63.).

g — Gustavus Camillus Gallettus a. 1847. Florentiae librum, qui inscribitur Philippus Villani, *Liber de civitatis*

Vide: Ludovicus Hain: *Repertorium Bibliographicum I—II.* Stuttgartiae, Tubingae, Lutetiae Parisiorum 1826—38., numero 7226.

⁶ Ibidem numero 12994.

⁷ Iohannes Csontosi: *A Korvina* (A Pallas Nagy Lexikona, tom. X., additamentum post pag. 814.) pag. X.

⁸ Opera exquisitissima Barth. Fontii Florent. v. cl. familiaris Matthiae regis Pannoniarum.

Florentiae famosis civibus etc., edidit, in quo ex editione operum Iohannis Pici Mirandulae a. 1601. Basileae excusa, ut ipse dicit, denuo edidit (pag. 160.) epistolam Fontii ad Robertum Salviatum scriptam. (II. 14.)

j — Hubertus Janitschek in libro, qui Die Gesellschaft der Renaissance in Italien und die Kunst (Stuttgart, 1879.), epistolam Fontii ad Franciscum Saxettum scriptam (II. 7.) inter commentarios (pag. 120.) e codice *B* valde mendose edidit.

m — Conceptus Marchesi in libro de Bartholomeo Fontio scripto septem epistolas e codice *F* typis excudit, et quidem hoc ordine: ad Politianum (I. 24., pag. 60—2.), ad Mathiam regem (II. 11., pag. 82—3., II. 12., pag. 86—7.), ad Pontanum (II. 18., pag. 91.), ad Thomam Soderinum (III. 9., pag. 96.). ad Buclerum Gallum (I. 22., pag. 132—3.), ad Marsilium Ficinum (I. 23., pag. 174—5.). — Quia Marchesi Dedicationem significat epistolam 1. libri I., ideo in nostra editione in libro I. numero minoribus numeris singulae epistolae notatae sunt. (Exempli gr.: apud nos: I. 15. = apud Marchesi I. 16.) Marchesi codicem *B* ignorat.

h — Stephanus Hegedüs in ephemeride, quae Irodalom-történeti Közlemények inscribitur, a. 1902. (t. XII.) de Bartholomeo Fontio scribens (pag. 1—19.) tres epistolas, et quidem duas ad Petrum Garasdam (I. 12., pag. 4.; I. 14., pag. 5.) et unam ad Mathiam regem (II. 12., pag. 16—7.) edit. Ad Petrum Garasdam scriptas e scriptis Eugenii Abel, qui codice *B* usus est, et Mathiam regem scriptam secundum Conceptum Marchesi prodidit.

a — E scriptis Eugenii Abel quatuor epistolas Fontii Stephanus Hegedüs in publicum edidit,⁹ quae sunt: ad Mathiam regem scripta (II. 11., pag. 16—8.), tres ad Petrum Garasdam scriptae (I. 15., pag. 19.; I. 13., pag. 19—20.; I. 12., pag. 20—1.). Abel codicem *F* ignoravit, epistolas igitur ad Petrum Garasdam scriptas e codice *B* descripsit, ad Mathiam regem scriptam autem, cuius finis ex hoc codice deperditus est, partim ex codice *B*, partim ex editione *r* codice et editione collatis reliquit.

⁹ Analecta Nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Ex scriptis ab Eugenio Abel relictis edidit Stephanus Hegedüs. Budapestini, 1903.

NOMINA TITULATA.

Nomina eorum, ad quos Fontius epistolas misit.

- | | |
|--|---|
| Acciaiolus , Donatus I. 9.
— Iohannes, Petri f. II. 3. | Pandolphinus , Franciscus III. 1.
— Petrus Philippus II. 8. |
| Brandolinus , Raphael II. 19. | Pharca , Michael I. 11. |
| Buclerus , v. : Gallus, Buclerus. | Politianus , Angelus I. 24. |
| Calderinus , Antonius I. 21. | Pontanus , Iohannes II. 18. |
| Cenninus , Petrus I. 2., 5., 6., 8., 18. | Puccius I. 1.
— Antonius III. 8. |
| Chalcondylas , Demetrius II. 2. | — Laurentius, Iulii secundi pont.
max. datarius III. 10. |
| Cinozus , Simon, frater ordinis
praedicatorum III. 4. | Ragusiensis , senatus II. 10. |
| Corsinus , Americus, Ded. | Riccius , Franciscus, Matthaei fi-
lius III. 7. |
| Corvinus , Mathias, rex Pannonius
II. 11., 12. | Rocciforte , Guglielmus, Galli-
arum cancellarius II. 15. |
| Delphinus , Petrus, generalis Ca-
maldulensis I. 20., II. 9. | Rossus , Iohannes II. 1. |
| Fannius , Petrus I. 3., 10., 19., II. 17. | Salviatus , Iacopus III. 13.
— Robertus II. 14. |
| Ficinus , Marsilius I. 23. | Saxettus , Federicus II. 16.
— Franciscus II. 7.; ann. crit. III. 7. |
| Gaddius , Franciscus I. 4., 7. | Soderinus , Franciscus, cardinalis
II. 21.
— Petrus, iustitiae vexillifer per-
petuo designatus II. 20. |
| Gallus , Buclerus I. 22. | — Thomas, Ianvictori filius III. 9. |
| Garasda , Petrus I. 12., 13., 14., 15. | Spica , III. 3. |
| Guarinus , Baptista I. 16., 17. | Verinus , Ugolinus II. 6. |
| Mathias , v. : Corvinus, Mathias. | Zeffius , Ioanfranciscus III. 6. |
| Medices , Laurentius II. 4.
— Petrus Franciscus III. 12. | |
| Morenus , Iohannes II. 13. | |
| Nesius , Iohannes III. 2. | |
| Oricellarius , Bernardus II. 5.,
III. 5., 11. | |

BARTHOLOMAEUS FONTIUS
EPISTOLARUM LIBRI III.

DEDICATIO.

Bartholomaeus Fontius Amerigo Corsino S.

Aetatisne vitio accidit iam ad senectutem vergentis, an ratione potius animi cum ipso tempore excrescentis, ut res meas, tanquam migraturus componam, nescio. Unum scio mihi quinquagesimum annum agenti non longe hanc abesse discessionem. Quare me ad tantum accingens iter dum, quid cognatis relinquam, quid amicis, expedio supellectilemque omnem explico, has inscio me latitantes epistolas, neque adeo multas, ut legere extimescas, forte invenio. Quas equidem ad te misi, amicissimum virum et communium studiorum studiosissimum, ut eis, cum vacabit, legendis totius vitae meae cursum, labores studiaque cognoscas. Sunt enim litterae ad amicos praesertim scriptae, quibus nihil esse occultum volvamus iurati ac sancti testes animorum nostrorum et voluntatum. Eas igitur cum perlegeris, nisi, quod maxime vereor, te offendierint, servabis inter alios tuos libros mei monumentum in te amoris. Sin certe offenderint, vel tuis ipse conscindes manibus vel ignipotenti Vulcano dabis, ne extent insignes notae iuvenilium mearum ineptiarum. Vale. Florentia, VIII. Cal. Februarii, 1495.

LIBER I.

Bartholomaeus Fontius Puccio S.

1

Summam erga me benivolentiam tuam multis antea rebus perspectam et cognitam nuper ex Baptista Nellio recognovi. Quam non oratione modo, sed oculis, fronte, vultu, multis praeterea signis, quae nequivit exprimere, se plane asserit perspexisse, quanti autem me facias, vel in se uno expertum esse, quem antea tibi semper incognitum nostris inspectis litteris tam comiter et benigne receperis tamque familiariter sis complexus, ac si tecum vixerit diu. Illud vero etiam mihi rettulit nihil gratius nihilque iocundius meis ad

te litteris posse perferri, quod omnibus de rebus, quae hic aguntur quaeque actae vel dictae sunt, cumulatissime te erudiunt. Quod ego ita dici a te arbitror magnitudine tui in me + amoris, cum praesertim non desint tibi, qui et celerius queunt et copiosius cuncta perscribere. Nos enim quod occupatores sumus, etiam in scribendo aliquanto caeteris tardiores. Ve- 5 rum utcunque sit, nunc tanta in re tantoque omnium metu quid actum sit quidque agatur dicaturve, volui tibi significare. Patefacta in Petrum Medicem coniuratione tanti negotii du- 6 ces Angelus Acciaiolus in Apuliam, Nicolaus Soderinus in Narbonensem provinciam, Dietisalvius Neronius in Siciliam sunt relegati. Sed Neronius primo Malpagam ad Bartholo- 7 maeum Colionem, deinde Venetias profectus est, ubi se illi Soderinus non multos post dies adiunxit. Quorum cohortatio- 7 nibus moti Veneti clam Colionem iusserunt quam maximum parare exercitum. Quod ubi prospectum est, statim Bernar- 8 dus Bongirolamus Ferrariaim, Aloisius Guicciardinus cum Thomaso Soderino Mediolanum ac Venetias, Iohannes Canisianus et Antonius Ridolphus legati Romam et Neapolim missi ad societatem instaurandam, sed cum rege Ferrando tantum et Galeatio Maria, Insubrium duce aequis conditioni- 9 bus renovata est; Lucenses quoque paulo post in eandem recepti, Senenses vero tergiversati animis esse nobiscum velle, non scripto responderunt. Hic curantur omnia diligen- 10 ter, nam et decemviri ad belli curam creati sunt et ab his milites scribuntur, a sociis praesidia accersuntur et omnia ad bellum necessaria summo studio parantur. Astorem, Fa- 11 ventiae principem a nobis constat ad Venetos defecisse, quare vis omnis belli in Flaminiam transferetur. Eo itaque 12 duodetriginta equitum turmae a rege Ferrando praemissae sunt illisque se Federicus Urbinas adiunget, Roberto quoque Severino imperatum a nostris est, ut eo ire cum suis copiis maturet. Bartholomaeum Colionem Padum cum ingenti 13 exercitu pertransisse magnus est rumor. Quo tanto motu Bononienses perculti praeter multorum opinionem in no- stras partis concessere, itaque ad eos Angelus Stupha legatus missus, qui, etsi per se antea satis firmi fidique nobis extiterant, hac tamen legatione magnopere confirmati totis viribus pro nobis contendunt. Intra urbem tamen varii mo- 14 tus animorum sunt, plebi enim rebus novis intentae nihil

praeter principes deest, qui non defuturi videntur, si in Flaminia succubuerimus. Accedit, quod graviter et inquis an-¹⁵
 mis multi ferunt ad sumptus belli subministrandos onera
 graviora statuta esse et quinqueviros ad id creatos in res et
 fortunas omnium potestate permissa. Erit haec aetas, ut mul-¹⁶
 torum fert opinio, plurimarum ac maximarum rerum eventu
 memoranda, nam et Italia omnis armata est et audimus in
 Gallia summos duces cruentissimum bellum parare et Chri-
 stiani nominis Turchum hostem fidei nostrae interitum mini-
 tari. Sed nostrum est, mi Pucci, earum eventa rerum, quae¹⁷
 sub fortunae arbitrio sitae sunt, forti animo expectare. Tu
 quid agas, quomodo valeas, ut sciam, cura. Domui tuae pri-
 stina illa dignitas magnam in partem est restituta. Nam vix¹⁸
 possem exprimere, quantum laudis Antonius, parens tuus
 ex Pisana praetura sit consecutus, quare et ipse tu, cuius
 expectatio magna est, cura, elabora, perfice, ut is evadas,
 quem pater, cognati, affines, amici omnes nosque in primis
 cupimus et optamus. Unum illud emoneo, ne propter iuris¹⁹
 civilis studia nostrarum dicendi artium obliviscare. Nam si
 ex sola iuris cognitione dignitatem maximam consequuntur
 ii, qui praeter verba legis nihil ex se non rude atque impoli-
 tum promunt, quanto maioribus et honoribus et praemiis
 honestandus erit is, qui ad legum scientiam elegantiam
 quoque orationis addiderit. Potes autem eodem tempore²⁰
 utrique facile inservire, non est enim tam ardua iuris cogni-
 tio, quam multi putant, sed potius ampla et diffusa, quam
 difficilis et obscura. Nostra quidem studia, quantum in se²¹
 iocunditatis atque utilitatis habeant, brevi ostenderem, nisi
 mecum, ad quem scribebam, reputarem. Nam cum primam²²
 aetatem omnem in his magna cum laude consumpseris, su-
 pervacaneum esse puto tibi longe antea perspecta et co-
 gnita enarrare. Te tantum ad ea hortor oroque, ut caepisti,²³
 pergas meque ames et a me omnia amantissimi hominis stu-
 dia officiaque expectes. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Cennino S.

2

Vereor, ne mora tam diuturna ingens damnum studiis¹
 meis attulerit, quae profecto, si affuisse, non remisissem.
 Quantum enim superioribus annis potuerit apud me oratio²
 tua, sum mihi ipse optimus testis, qui te fidelissime adhortante

et prudentissime admonente communibus studiis inhaerebam. Nunc vero te absente non casu aliquo, sed certa potius ratione, unde me sustuleras, sum revectus. Iactamur enim, ut vides, non imperiti homines saevis undis et allatrantibus scopulis agitamus. Quae spes autem serenitatis futurae, quibus nullum benignum sidus refulgeat? Ergo animus erat, cum haec scribebam, saevientibus ventis vela convertere, sed illud me rursus angit, quo me applicem. Quid tu probes? Quare consule mihi, quaeso, per litteras, quid agendum putas. Sunt hae profecto etiam tuae partes, cum nihil habeas separatum a nobis idemque tibi sit etiam atque etiam cogitandum. Expectabo itaque litteras tuas atque interim eundem tenebo cursum, non tam ut aliquid proficiamus, quam ne abiectis animis videamur. Tu quidem recte facis, qui in omnibus epistolis me hortaris, ut animo sim erecto, ego vero nedum magno, ut saepe antea, sed etiam nunc animo sum excelso. Verum nos oportet aliquando consulere nobis ipsis. Nam etsi summae Diogeni videntur opes habendi cupiditate carere et ad trahendam vitam fontes, herbas, speluncas, pelles sufficere, nobis tamen hoc tempore hosque inter homines aliter est vivendum. Nosti praeterea naturam stomachi mei quam a sordibus alieni, quam earum rerum, quas tu non contemnis, percupidi. Quare tanquam e specula quadam prospicio, quo potissimum advolem, ut tentem et experiar omnia potiusque fortuna iudicio meo, quam defuisse mihi vel consilium vel animus videatur. Sed haec fortasse pluribus, quam fuit necesse. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Fannio S.

3

Tametsi multo gratius mihi erat verbis potius coram, quam litteris, si qua tibi dicenda erant, exponere idque ita facere statueram, tamen cum te isthic diutius, quam putaram, morari videam, decrevi pauca ad te scribere, quibus animum penitus meum intuens eam mihi a superis mentem datam esse laeteris, quae me, quod in primis quaerendum est, ad virtutem et litteras inflamarit. Ego vero etsi contendi Ferrariam, ut Borsium Estensem inviserem, illa tamen etiam causa me commovit, ut, quae Bononiae, quae Ferrariae, quae Venetiis litterarum esset conditio quive docti homines, plane cernerem. Harum equidem urbium mores et ingenia con-

templatus nihil video, in quo nostri homines illis cedant. Uno certe longe praestamus, quod philosophum praeclarissimum atque omnium, qui ubique locorum sunt, facile principem, Iohannem Argiropilum habemus, quo doctore ac magistro, nisi casus aliquis retardaverit cursum meum, non me in postremis futurum putem. Sed illud modo fit reliqui, quae ego verificatione in hunc litterarium portum devehar. Expecto igitur te unum propositi mei non solum laudatorem, sed adiutorem. Itaque redditum tuum accelera, eris enim et consiliorum nostrorum particeps et eorundem socius studiorum. Vale.

Bartholomaeus Fontius Francisco Gaddio S. 4

Paenitentiam meam breviter simpliciterque descriptam huic ad te dedi tabellario preferendam, quae, ut puto, non verebitur iudicium tuum, cum abhorreat ab omni barbarie fratrunculorum sitque descripta oratorio quodam, ut in tali re convenit, diserto et eleganti stilo. Tu vero, si me amas, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas, da, quaeso, operam diligenter, ut libri, de quibus iterum ad te scripsi, mihi quam celerrime transcribantur, quo mihi nihil in praesens facere gratius poteris neque commodius. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Cennino S. 5

Recordare tuas litteras, quibus mihi recepisti ad omnina te mihi semper paratum fore. Quod ego vere ita esse existimabam propter benivolentiam in te meam, quam si experiendo magis, quam loquendo cognosti, in hoc nostrum et tu vicissim negotium nunc incumbas atque ita omnia per te agas, ut me a te mutuo amari re ipsa intelligam. Tu vero, quod proximis ad me litteris subobscure ac breviter attigisti, quicquid evenerit, in meliorem, quaeso, partem accipias. Est enim tuae prudentiae, etiamsi secus acciderit, quam volueris. patienter perferre. Ego quidem re vel desperata vel, quod spero cupioque, adepta te brevi expecto, ut totius vitae nostrae rationem ineamus. Magna enim spe alor, magnam quoque de te spem habeo, quae futura in dies videtur maior, si parueris optimis et fidelissimis consiliis meis, quae divinare iam debes, sed tenebris planius audiendo. Quare iter tuum acceler, nam et haec et plura alia coram agemus, cum veniris. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Cennino S.

6

Etsi ea te confido prudenter facturum omnia, quae tibi
conducere iudicabis, ita me tamen examinarunt iustissimae
querelae tuae, ut non minorem dolorem ceperim ex casu tuo,
quam si essem in eodem constitutus. Quare te oro in mirum
modum, ut, quid sit subsecutum, confessim scribas. Ero enim
interim semper de te solicitus. Quanquam haec Deus, ut
spero, vertet in melius. Quod si erit, ut opto, me quasi ab
interitu revocabo. Vale.

Bartholomaeus Fontius Francisco Gaddio S.

7

Nulla de causa (sunt enim aliae multae et iustae) tan-
tum cuperem, una essemus, quam ut amicitiae nostrae,
cuius iam pridem semina sparsimus, iocundos atque uberes
nunc fructus meteremus. Sed quaecunque utrique nostrum
fortuna erit, quae bona, ut puto, erit, id fiet aliquando. Inte-
rim nos armemus validissimis illis armis, quae vi nulla con-
tundi possint, quod, si ipse facis, est mihi vehementer gratum.
Equidem ita me munio, ut iam videar non inglorius esse
miles. Musae illae nostrae veteres ita me amplexantur, ita
in suam consuetudinem me admittunt, ut, cum amicissimis
illis utar, videar mihi sperare debere. Sperarem profecto
magis, si studiorum socium te haberem, sed, ubi id nequit,
explebimus animos nostros crebris litteris cohortando nos
invicem et monendo. Me quidem ita delectant epistolae tuae,
ita etiam ad te scribens afficiar, ut, quotiens tua lego, te lo-
quentem audire, te videre, quotiens ad te scribo, tecum esse
et colloqui tecum videar. Quod autem tua mihi omnia para-
tissima polliceris, est id sane minime novum, gratum tamen
ac pericundum promissum tuum, ex omnibus enim partibus
sese quotidie magis effundit vis et magnitudo amoris tui.
De me vero tibi recipio nullam rem unquam futuram tam
arduam, quam ego non pro te libenter suscipiam quaeque
mihi pro te suscepta non iocundissima sit futura. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Cennino suo.

8

Quod optatis fortunam tuis acrem quereris adversariam
exitisse, pari tecum dolore sum permotus. Verum enim vero
fortem virum aequam semper decet servare mentem et in-

victo animi robore, tanquam fortissimo propugnaculo uti contra omnem fortunae temeritatem. Quare cum intelligam, quid tu de rerum tuarum amissione optime sentias, nihil aliud in praesentiarum ad te scribam, nisi ut, si ante tranquilliora moderate tulisti, nunc turbida sapienter feras. Ego te, quod maxime petis, et Donato commendare non desistam et nihil praeterea, quod ad te tuosque pertineat, praetermittam. Vale.

Bartholomaeus Fontius Donato Acciaiolo S.

9

Etsi Petrum Cenninum probum et doctum virum propter summum ingenium, suavissimos mores, singularem modestiam satis per se ipsum sine meis litteris tibi commendatum fore confido, te tamen vehementer rogo, ut, quibus in rebus ei usui esse poteris (poteris autem quam plurimis), facias et amanter et diligenter. Mihi certe nihil efficere gratius unquam poteris, quam si omnem vim tuae in me benvolentiae in hunc unum animae dimidium meae totam transfundderis. Quod ut facias, te iterum atque iterum oro. Vale.

3

Bartholomaeus Fontius Petro Fannio S.

10

Quod mihi de optimo statu tuo significasti, vehe- menter placet, quando industria et virtute tua perfectum video, ut, quae multi vix tempore longissimo consequuntur, ea tu brevissimo sis adeptus. Sunt autem tibi quidem ista praeclara initia tanquam firmissima fundamenta totius vitae iacta a me ipso, qui te ornatissimum cupiebam, hoc tempore non sperata. Nam etsi cognita industria, probitate, doctrina tua summa de te sperabam, tamen haec nostra doctis viris adversa tempora et inversi Romanae curiae mores faciebant, ut vererer interdum, quemadmodum tecum ageret ipsa fortuna. Quare tibi primum, ut debeo, pro adepto Caereti sacerdotio gratulor, deinde mihi ipse etiam gaudeo, qui, dum ea, quae in te video, in me quoque libenter effingo, bene mecum agi etiam arbitror. Sed nunc, mi Petre, nunc sunt tua officia atque partes (quoniam non haec scribo, ut te instituam, neque enim prudentia tua pracepta mea desiderat) omni cura et diligentia vigilare, ut assiduitate et virtute tua haec tam clara initia maioribus successibus prosequare. Vale.

Bartholomaeus Fontius Michaeli Pharcae S.

11

Ex quo tempore te Florentiam studiorum communium causa contulisti, ego nostrorum omnium primus consuetudinem tecum cepi, quam non solum in hunc diem servavi, sed auxi semper diligentissime. Omitto, quo interim animo, quo studio, qua liberalitate quibusque officiis prosecutus te fuerim. Cum itaque fides et singularis amor erga te meus extiterit, non queo mecum non admirari, cur ita commutatum te viderim. Nihil autem potest intercessisse, nisi Petri Cennini discessio.³ In quo quidem, fateor, tibi consului, ne eius profectionem remorareris, verebar enim te hominis non indiserti inimicitias absque ulla tua utilitate suspicere. An credebas tuis Antonium Ridolphum ad Ferrandum regem legatum verbis ab eo, quod clarissimis viris de illo secum ducendo promiserat, dimoveri? Quod ego cum scirem, tibi, ne eum lacesceres, recte consului. Sed ne tuae abalienationis causa haec sit,⁵ subii equidem libens hanc iacturam tibique, quam pecuniam debet, de meo misi, malui enim eam perdere, quam amicum, quoniam longe pluris amicorum iacturam facio, quam numerorum. Non enim mihi ullum aut ex tua aut ex cuiusquam amicitia quaestum propono. Sed tantum quaero animum atque mentem longe mihi invidiosis divitiis cariorem. Haec si tibi erunt accepta, ut debent, rem feceris amicitia nostra dignam. Si nihil movebunt, ne ego quidem commovebor, cum nulla res tristari me debeat praeter culpam, qua me carere Deum hominesque attestor. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio S.

12

Tantum est temporum rerumque omnium immutata conditionis, ut minime mirandum sit, si ego quoque ad tempus patriam mutem. Nam si sapientis est hominis tempestati cedere neque eundem semper cursum tenere, non mihi vitio dari putem. Si cum ea, quam proposueram, via ad optatum finem pervenire non possim, alia ire pergam, qua ad exitum tandem perducar. Itaque et horum temporum et mearum rerum omnium ratione prospecta cum censeam non esse domi amplius desidendum, te per tuum in me amorem meumque erga te mutuum etiam atque etiam rogo, ut de nobis, quod promisisti, conficias, nullam enim aliam mihi viam ad nostra studia relictam esse perspicio, cum quod omnis Italia dissen-

sionibus intestinis est armata, tum quod princeps in ea nullus favebat liberalibus disciplinis. Evidet ni mihi persuaderem, cum haec scriberem, te pro tuo summo in me amore meoque in te pari tua sponte etiam sine meis litteris esse facturum, plura scriberem meque tibi diligentius commendarem. Tantum oro, si me tui studiosissimum semper nosti, hoc mihi praestes, quod omnium est maximum maximeque necessarium quodque nullius, nisi tua unius opera me assequi posse confido. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio S. 13

Simulac te quartana liberum ex tuis litteris intellexi, incredibili gaudio sum affectus. Sed si me amas, maerore solicitudineque expulsa aegritudinis tuae potissima causa ingentes animos erigas. Nam ut ex multis audio, Pannoniis rebus compositis et tui ad regem in auctoritate et gratia pristina permanebunt et tu eris brevi inter eos in gradu altissimo constitutus. Nihil est enim tam magnum, quod ego te propter egregias virtutes tuas, suavissimos atque optimos mores summamque humanitatem non sperem consecuturum. Donec vero in Pannoniam redeas, incumbe toto animo in hanc curam, ut omnium tuorum expectationem de te exuperes. Hanc, ut spero (etsi ea est ingens), perfacile vinces, si ad nostras te totum artis converteris, unde te Varadinensis praefectura paulum flexit. Igitur eventa rerum Patavii dum expectas, cura, elabora, invigila, perfice, ut resarcias praeteritam omnem studiorum iacturam. Non succumbas ulli oneri, non iniquis deperditisque temporibus, non saevissimae adversissimaeque fortunae. Scribo haec amanter ad te, ut debeo, teque rogo, ut, licet consilio meo ipse non egeas, hac tamen in re tibi a me consuli patiare. Me quidem semper in omni fortuna fidelissimum amicissimumque habebis: Res certe meas omnis, quaecunque sunt, non tibi solum hac tanta tua necessitate promitto, sed ad te ultro libenter defero. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio S. 14

Quod quaeris, qui meus sit status, is est, qui solet, et aliquanto deterior, qui natus ad agendum aliquid dignum viro ita humiliter vivo, ut studiorum ac Musarum suppudeat. Sed, ut alias ad te scripsi, in uno te spem meam omnem reposui.

Quare Pannoniis rebus compositis Poloniisque dimissis ac tuis reconciliatis cum rege te Deus optimus maximusque fortunet, ut ad te ego vel ad tuos vel saltem in regionibus tuis non indignam nostris litteris vitam ducam. Vale. Florentiae, XVI. Cal. Ianuarii, 1471.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio S. 15

Litterae tuae amantissime ad me scriptae cunctas molestias animo depulerunt. Non potui enim non dolorem reprimere atque animum auctoritate tua confirmatum non constantem habere. Itaque durabo, ut mones, et de te semper optimam spem habebo teque pro tuis in me meritis singulari fide observantiaque amabo. Vale. Florentiae, Idibus Februarii, 1471.

Bartholomaeus Fontius Baptistae Guarino S. 16

Romam ad me tuae litterae sunt allatae, quibus inde rescribere non est visum, cum quod certum tabellarium non haberem, tum quod nihil certi referre possem, si prius Florentiam non redisse. Quo cum veni, nihil mihi fuit antiquius, quam ut tuis litteris responderem. Iohanni igitur Bencio, quam scripseras, pecuniae summam persolvi, Apollonium autem, quem deferre mecum sperabam, idcirco habere non potui, quod Bessario ad obeundam legationem intentus non exhibuit. Suetonium per Nicolaum, legatum Herculis perendie ad te misi, cui quod poema nostrum reddideris, rem gratis simam effecisti. Lyrica tua quidem sunt visa mihi et elegancia et iocunda, quare te rogo, quotiens otium nactus eris, aliquid simile ad me scribas, cum enim aut tua lego aut ipse ad te scribo, tuo suavissimo colloquio perfrui mihi videor. Quo fit, ut, cum longitudine tuarum litterarum delecter, ego quoque fiam longior in scribendo. Enimvero te decrevi participem facere Romanae urbis antiquitatis, quam nuper, dum Romae fui, quotidie non sine lachrymis perlustrabam vicissitudinem rerum et fortunae varietatem considerans, quae tantam urbem, terrarum quandam orbis imperium atque arcem tam foede ac tam immaniter deformasset. Pontem igitur supra Tiberim, quo in insulam itur, vidi a L. Fabricio, C. filio, curatore viarum factum et aedis Concordiae porticus marmoream quandam partem iuxta Capitolium, quam senatus

populusque Romanus incendio consumptam restituit, et Septimii Severi, M. Aurelii, Titi ac Vespasiani Constantinique marmoreos insignes arcus, divi quoque Traiani et divi Antonini duas ingentes cocleas, marmoreas columnas, in quibus eorum gesta miro artificio sunt inscripta. Ad Ostiensem ⁷ vero portam pyramis est marmorea inoenia urbis intersecans, C. Cestii, septemviri epulonum ingens magnificentumque sepulchrum. Est et obeliscus in Vaticano, quem C. Caligula ⁸ divo Augusto et divo Tiberio sacrum posuit. Sunt et in Esquiliis duae ingentes marmoreae statuae a Praxitele Phidiaque perfectae cum duobus infrenis equis. Superest et ¹⁰ sacrarium Theodosii, cuius intrinseci parietes marmoreis tabulis caelatura veteris exornantur, quod Martino martyri est dicatum. Conspexi omnium magnificentissimum aquaeductum, quem divus Claudio ad Caelium usque montem perduxit et L. Septimius Severus et T. Aurelius Antoninus Pius pluribus in locis corruptum restituerunt. Est et ad Tiberis ¹² ripam divi Hadriani cum nobili supra fluvium ponte moles, ingens eius magnificentumque sepulchrum, nunc Castrum Sancti Angeli vocatum. Vidi Pantheon, deorum omnium nobilissimum templum; quod M. Agrippa, L. f., consul tertium fecit. Extra urbem vero ad secundum lapidem via Ostiensi M. ¹⁴ Antonii Antii Lupi marmoreum sepulchrum mire ornatum inspexi cum rerum a se gestarum inscriptione. Ad viam ¹⁵ quoque Appiam secundo ab urbe miliario aliud longe maius admirabiliusque perspexi Caeciliae, Q. Cretici filiae, Metellae, Crassi. Haec digna aeternitate, quae viderim, ex omni ¹⁶ restant antiquitate, in quibus litterae sint incisae. Quae sub- ¹⁷ sequuntur, si non titulis, at gravissimorum auctorum testimoniiis comprobantur. Nam Amphitheatrum illud omnium ¹⁸ maximum ex lapide Tiburtino, Colosseum a propinquo olim Colosso denominatum itemque Pacis templum, cuius tres tantum extant ingentes arcus, Vespasiani est opus. Mauso- ¹⁹ leum etiam Augusti Flaminiam inter viam et Tiberis ripam, quam Augustam hodie quoque dicunt, Octaviani opus excellens fuit. Thermarum autem quaeque Antoniniane, quaeque ²⁰ Termini nuncupantur, alteras Antoninum Severum, alteras Diocletianum nemo struxisse ambigit. Videntur et marmoreae sex ingentes columnae, tres ad Capitolii, tres ad radices Palatii, quam partem esse pontis a Caligula facti dicunt,

quo Palatio Capitolium iunxit. Et in Esquiliis trophyea duo ²²
marmorea conspicuntur de Jugurtha deque Cimbris deque
Teutonis primum a C. Mario constituta, deinde a L. Sulla
disiecta et a C. Iulio Caesare dictatore reposita. Videtur et ²³
Romuli templum post templum Pacis Capitolium versus
sanctis Damiano et Cosmo sacrum et in via Sacra aedes
Castoris et Pollucis, quam Sanctam Mariam Novam dicunt,
et iuxta forum Saturni aedes, quod olim aerarium nuncupatum,
modo est sacrum pontifici Hadriano. Templum quoque ²⁴
Mercurii nunc angeli Michaelis et Apollinis aedes in Vaticano
iuxta Basilicam Sancti Petri et Iunonis Lucinae nunc Sanctus
Laurentius in Lucina. Reliqua erant et intra et extra ²⁵
urbem adhuc quaedam veterum monumenta, quae tibi singula
ordine explicassem, nisi me ad te ea libentissime nunc scri-
bentem adversissimus nuntius enecasset. Nam vir clarissi-²⁶
mus Iohannes, Histrigoniae archiepiscopus a Mathia Cor-
vino rege comprehensus est et Ianus, Quinquecclesiensis epi-
scopus, vir doctissimus et poeta clarissimus in ipsa fuga in-
teriit. Petro quoque Garasdae meo, ne in regias manus per-²⁷
venerit, non mediocriter timeo. O me miserum, qui uno ²⁸
tempore tantos viros tam amicos e tantis fortunis in tantas
miserias videam corruisse. Sed, quominus scribam, obortis
lachrymis et dolore impediatur. Vale. Florentiae, XIII. Cal. ²⁹
Maii, MCCCCLXXII.

Bartholomaeus Fontius Baptistae Guarino suo salutem. 17

Acerbo mihi interitu Bithyniae tuae dulcissimae coniu-¹
gis nuntiato graviter, ut debui, sum commotus. Honestissi-
mam enim et pudicissimam feminam suavissimis moribus
et singulari modestia praeditam immatura morte sublatam
vehementer graviterque angebar. Velle autem sub ipsam ²
potius mortis diem, quam nunc, tam sero eius obitum percepisse, ut in tempore amici optimi functus munere aliquod tuo
vulneri salutare remedium praestitissem. Veruntamen ne ³
nunc quidem alienum fore putavi aliquid ad te scribere, quod,
si non radicitus vellere, saltem minuere istum tibi dolorem
possit. Nihil enim aeque aegritudini animorum, atque dulcis
oratio confert. Ego vero, ut tu per litteras quoque petis, non ⁴
te sapientem Stoicorum legibus esse rogo, qui in caris-
simorum funere nihil omnino nos angi, nihil quoque dolere

volunt. Non enim illis assentior, qui ritu ferarum viventes nullis affectibus commoventur. Nam quis est adeo expers humanitatis, qui, si carissimam uxorem amitteret, matrem communium liberorum, quae rem omnem familiarem diligenter conservaret et studiosius augeret, in quam omnis domesticas curas solicitudinesque deponeret, non vehementer turbaretur? Verum ut carissimorum interitu non tristari brutorum, potius immanum ferarum, quam pii et docti hominis est munus, ita quoque dolore nimio cruciari mulierum potius, quam virorum. Bene autem institutus animus neque dolore non commovetur, neque plus, quam satis est, maerore tristitiaque torquetur. Par est enim prudentissimum quenque virum neque se nimium secundis rebus efferre, neque in adversis concidere, sed bene praeparatum pectus ad utranque fortunam ostendere. Considerare enim debet, quemadmodum pelagus nunc turgidum, nunc tranquillum et caelum modo turbidum post serenum conspicimus, sic quoque nos non posse pro mortalitatis conditione semper in eodem tenore persistere neminique naturae leges pervertere datum esse. Quae quidem si ab initio nobis perpetuam pacem et securum otium promisisset, in adversis nostris rebus pro repentina dolore, cuius eo semper acerbior est vis, quo magis insperatus acciderit, non iniuria quereremur. Verum quando nobis solicitudines, iugiter pro arbitrio suo iacit, tecum ipse tacitus reputabis, intelliges iam adhibenda medelae tuo vulneri tempus ultimum adventasse. Optima vero medicina doloris ratio est, quae a me supra descripta sunt, omnibus, qui terrae vescuntur munere, sive reges, sive inopes fuerint, enavigandam Cocytum fluminis undam esse. Verum cum vitam a Deo mutuam, tanquam aes alienum a feneratore sumpserimus, reposcenti illi, quandocunque voluerit, laeto animo est reddenda. Neque enim in morte quicquam est mali, cum ea cunctis incommode optimum remedium sola praestet et humanae vitae curas solicitudinesque devitet. Nam si mors animi simul et corporis finis est, insensibilitas quaedam ipsam consequitur et

requies cessatioque laborum, aut, si non una cum corpore totus animus interit, ab angustiis corporis, quibus mens vanis impletur cogitationibus, liberati quietiorem vitam transigimus. Amore, praeterea spe, metu, cupiditate et diversarum ¹⁷ rerum affectibus ita semper exagitamus atque a summi boni contemplatione abducimur, ut nihil vere possimus sapere, donec in corpore permanemus. Pugnae vero, seditiones, dis-¹⁸cordiae unde nobis, praeterquam a corpore oriuntur? Omnia enim fere bella aut aliis a nobis, aut nobis ab aliis propter opes et divitias inferuntur, quibus corporis tantum causa inhiantes caetera omnia recta atque honesta despicimus. Cae-¹⁹terum si nihil mali in morte est, sed contra, plurimum boni, si mors non prece, non pretio, non vi, non arte diffugitur, si vita, quam mutuo cepimus, cum a Deo reposcitur, aequo animo reddi debet, quid est causae, cur tantopere acerbissimo funere dilectissimae coniugis torqueare? An doles, quod cor-²⁰poris vinculis exoluta ad lucem e tenebris, a labore ad requie-tem, a terrenis ad caelestia piissima mulier commigravit? An vero te potius angit domesticus dolor tuus, quod neces-²¹saria dulcis coniunx tam insperato tempore, tam a studiis tuis et liberorum et rei familiaris negotiis alieno te solum in medio curarum fluctu reliquerit? Sed an, vir omnium litte-²²ratisse, ignorabas, cum uxorem ex sententia delegisti, et eam et liberos, si quos pareret, teque simul et aegrotare et mori quotidie semper posse, cum nemini exploratum sit vel in diem crastinam se victurum? Quod si haec tibi, ut par-²³erat, ante oculos proponebas, cur nunc tam vehementi dolore afficeris casibus istis multo antea meditatis. Age ergo, te²⁴ collige aliquando et res humanas animo revolutans considera non te solum, non primum, non ultimum his molestiis impli-²⁵cari. Finem maerori luctuique impone, quem, si post paulo finiet ipsa dies, te talem ac tantum virum, tanta doctrina ac scientia praeditum tempus ultimum dedecet expectare. Nam cum prorsus insani sit hominis in perpetuo luctu et squalore persistere, profecto nos oportet et decet auxilio rationis tempus ultimum paevenire. Quod si lachrymis et maerore pos-²⁷sent animae rursus in corpora revocari, concederem sane pro tuo arbitrio te lugere. Verum cum quis semel occiderit et de se splendida Minos arbitria fecerit, non genere, non facundia, non pietate restituatur, non debemus, ut initio

dixi, plus, quam decet, maerore tristitiaque vexari. Neque²⁹ hoc ea tantummodo ratione, quod nihil luctu nostro proficiimus, sed etiam, quod si quis inferis est sensus, illius animam, si te tanto dolore opprimi senserit, dolituram in morte crediderim, cum te vivens plurimum delectarit. Praesta hoc³⁰ igitur illi mortuae, praesta discipulis tuis et cunctis Latini nominis, qui doctrina et ingenio tuo egent, praesta natis, amicis, cognatis, affinibus, qui una tecum tanto tuo dolore maerent. Quibus omnibus de tua plurimum salute solicitis rem³¹ gratissimam feceris et studiis et doctrina tua dignissimam, si rationi obtemperans ab inanibus querelis desistens te ad pristinam vivendi consuetudinem revocaris. Vale. Flor., XXV.³² Julii, 1472.

Bartholomaeus Fontius Petro Cennino S.

18

Cum recordor puerilium temporum, quibus cum nostro¹ Fannio pericunde vivebamus in rectis studiis litterarum, et eorum, quae postea sunt subsecuta, molestias reproto, prae his illa beata fuisse videntur mihi. Nam etsi tunc puer inter² dum angustiis rerum exagitabar, me tamen ad suavissimas Musas referens ex eis magna solacia capiebam. Illis autem³ postea necessario decem iam annos relictis laborum plenam et solicitudinum vitam duxi, ut qui neque foris ornamentum fortunae ullum, neque domi praesidium ullum invenerim. At nunc⁴ tandem cum rerum usu experientiaque edoctus nihil expectandum praeter virtutem censuerim, ad bonas artis revertor cum sponte mea, tum rationibus iis, quas paulo post exponam. In quo quidem me pungunt leviter eorum, quos mihi⁵ rettulisti, de me sermones, qui, cum in me nihil non ferendum inveniant, dicunt tamen non me tam diu studia relinquere debuisse. Quibus ego si prius ostendero, quot mihi⁶ per omnem adolescentiam incommoda fuerint ad studia prosequenda, mox tibi sententiam meam aperiam. Me vero a⁷ communibus studiis parentum, ut te non praeterit, immaturus interitus invitum avulsit. Tunc enim quintum decimum⁸ annum aetatis agens suscepta necessaria meorum cura omnem fidem, industriam operamque adhibui eis tuendis. Qua⁹ in re tanta assiduitas et diligentia mea septem continuos annos fuit, ut maximo illis adiumento extiterim. Secundo vero¹⁰ aetatis anno supra vigesimum magna ex parte oneribus iam

levatus sorore etiam viro in matrimonium collocata caepi
mecum de me ornando aliquantulum cogitare. Verum cum ¹¹
fieri humaniores litteras domi pauci et earum studiosos parvo
in pretio esse cernerem, statui ad aliquem principem me con-
ferre, cuius opibus et gratia vitam honestiorem transigerem.
Quare velut e specula quadam nostrorum Italiae principum vi- ¹²
tam et mores acutum prospiciens praeter Estensem Bor-
sium, Ferrariae ducem, ad quem tenderem, cernebam. Is ¹³
autem magnitudine animi caeteros principes longe superans
me suscepit comiter et benigne. Ego vero eius in me liberali- ¹⁴
tatem benvolentiamque expertus in eo cum spem omnem
reposuisse, non post multo ipsius acerbissimo funere eo
corrui magis, quo magis attollere me speravi. Quare contra ¹⁵
rebus, quam putaveram, succendentibus cum redire ad vetera
studia, veluti quietis in portum excogitarem, Ferraria rever-
sus incidi in quartanam, quasi parum fecisset ipsa fortuna,
si, cum tantum illud mihi decus et praesidium sustulisset,
non in corpus quoque meum saeviret. Hac ego per integrum ¹⁶
annum laborans omne litterarum studium tam longo inter-
vallo repetitum non sine magna molestia iterum relinquere
sum coactus. Postea vero tam diutino morbo liberato cum ¹⁷
mihi, cum Petro Garasda, viro clarissimo meique amantis-
simi tanta necessitudo intercederet, ut non suam modo, sed
suorum quoque omnium gratiam et favorem conciliaret, ecce
iterum adversissima truculentissimaque fortuna eius et suo-
rum omnium opes fregit. His ego tantis ac tam magnis ami- ¹⁸
cis orbatus, viris amissis, his ornamentis vitaeque meae fir-
missimis fundamentis, quo me amplius verterem, ignoveram,
nisi Francisci Saxetti, amicissimi hominis et domo et rebus
familiarius uterer. Caeterum cum ad hunc meum natalem ¹⁹
diem, quo sextum et vigesimum annum ingredior, totius ante
actae vitae rationem reddiderim, cur modo ad intermissa
studia toto animo me converterim, quam brevissime potero,
enarrabo. Cum Donato Acciaiolo, praeclarissimo viro summa ²⁰
mihi, ut scis, familiaritas intercedit. Is nuper ad Fovianen-
ses legatus missus ad eorum controversias finium cum Lu-
censisibus componendas me secum duxit. Hac in legatione ²¹
sum saepe questus haec tempora doctis esse hominibus tam
adversa commutaturumque me libenter, si versura fieri pos-
set, humanitatis et eloquentiae studia cum quaestuosis,

quanvis minoribus artibus affirmavi, itaque ne te pluribus
verbis morer, ad me ille tandem conversus ait: Officium ²²
meum est pro meo summo in te amore tibi consulere et
monere, ne medio in spatio cursum sistas, ut, si quid prod-
esce queam, non videar mea cohortatione defuisse, ac, si
minus nunc profuero, saltem posthac intelligas mihi voluntat-
em egregiam affuisse. Ego vero tecum persaepe reputans, ²³
quid in istam te mentem impulerit, nullas, nisi duas causas
esse video aut divitiarum aut vulgarium honorum assequen-
dorum. Sed an decet pro inani quadam gloriola et pro sor-²⁴
dido quaestu eas immensas opes amittere, quae vivo tibi
nunquam adimentur, neque earum laus mortuo quidem? An ²⁵
ignoras, quae in fortunae arbitrio sita sunt, fluxa et instabi-
lia cuncta esse, quae, et dum homines quaerunt, et postquam
adepti fuerint, mille incertis casibus submittuntur? Quid ²⁶
porro praeclarus est, quam non struendis opibus, non falsis
honoribus exquirendis, sed multarum magnarumque rerum
cognitioni et scientiae inhaerere? Caetera omnia vana et
fluxa sunt habentibusque magis oneri, quam honori. Virtus ²⁷
sola aeterna est et iocunda et utilis possidenti. Sola etenim
sapientiae studia nos ad honestatem et virtutem instituentia
in adversis rebus consolando, in prosperis adornando, quid
sequendum, quid vitandum sit, fideliter emonendo ad veram
laudem et gloriam nos perducunt. Contra vero aura popularis ac divitiarum cupiditas et quaerendo habendi spe fati-
gant animos nostros et quaesita amittendi metu ita solicitant,
ut in eis nullam quietem reperiamus. Quando autem eorum, ²⁹
quae sunt, alia in nostra, alia extra nostram potestatem lo-
cata sunt, insani est hominis, quae sui iuris non sunt, in po-
testate sua esse praesumere, aut, quae propria sunt, aliena ex-
istimare. Nostrum est autem appetere, assentiri, eligere, de-³⁰
clinare, praeparare, decernere; alienum gloria, robur, pulchri-
tudo, divitiae caeteraque id genus, quae magis optare, quam
vindicare nobis valemus. Sed earum rerum, quarum te optio ³¹
penes est, cum eligere utilissimam quanque debeas, utilissimum
vero procul insanis vulgi recte vivere tibi sit, id autem facere
nequeas, nisi animum bene colas, iis artibus totum dedere te-
debes, quibus illum quam rectissime possis excolere. Sed ³²
cum ad bene vivendum sit opus praeceptis et institutis ad
felicitatem ducentibus, quae undique ex nostris studiis col-

liguntur, operaे est pretium, his incumbas, in quibus etiam prosequendis si lucro animum et honori subiicias. An Leonardum Poggiumque ignoras hac una dicendi scribendique facultate sibi perpetuum nomen et honestas divitias comparasse? An alia, quam hac duce Schala noster ascendit ad opes, ad honores, ad dignitates? Quare age, expergiscamur aliquando minusque nobis, quam possumus, plus tamen, quam facimus, assumamus ac iam prope reviviscenti eloquentiae pro virili nostra subveniamus. His ego adhortationibus et tunc miserabiliter sum commotus et iisdem, postquam in urbem redii, mecum saepius repetitis totum ad communia studia me converti. Alii, ut divitias cumulent, Britannos usque adnavigent. Alii ante potentiorum fores excubent, ut assequantur aliquam dignitatem. Evidem paupertate contentus ambitione avaritiaque semota omne tempus, quod a rerum necessariarum cura supererit, studiis nostris impertiar. In quo rectissimo atque honestissimo proposito perseverans contendam efficere, quod tabellarii celeres interdum solent, qui, si serius mane surgunt, ita mox gradum accelerant, ut cito, quam si ante lucem iter ingressi essent, ad constitutum locum perveniant. Haec vero ad te potissimum scripsi, suavissime mi Cennine, quoniam cupio te habere in omni meo consilio socium et in omni cogitatione coniunctum. Quae si tibi, viro optimo probabuntur, gratius erit, quam si senatus et populus omnis probet; Fannio certe nostro vehementer placitura confido, cui honesta et recta omnia semper solent placere. Vale. Florentia, VII. Cal. Septembris, MCCCCLXXII.

Bartholomaeus Fontius Petro Fannio S.

19

Cum peccatum animae mortem inferae in paenitentia mea scripserim, sed non eam, quae interitus est et finis, cum eius anima sit immunis, quaesivisti hesternis litteris, et quid anima ipsa sit et qua ratione immortalem existimem. Etsi eam peccatis onustam putem in Tartareos fluctus demergi ac perpetuo supplicio cruciari, quando, quae de inferis scripta sunt, ad nostram emendationem, ne cupiditatibus moveremur, fabulosa dicta nonnulli putent. Neque vero haec de me querere alienum putasti, quoniam, si aut non esset anima immortalis, aut inferi ad terrorem, quo pietatem mortales colerent iustitiamque servarent, conficti essent, frustra de pae-

nitentia descriptsissem. Ego autem, etsi res tanta maiore otio 4
longioreque praemeditatione indiget, per eundem tabellarium
tamen, ut aliqua tibi in parte faciam satis, rem totam, quanto
aptius potero, explicabo. Quacunque de re loquimur, duo sunt
in primis consideranda, an ea sit et quid sit. Frustra enim,
quid esset, si ea non esset, disquireremus. Esse autem ani- 6
mam inde constat, quod homini motum aut anima aut cor-
pus praestat aut utriusque permixtio. Sed cum in corpore non 7
sit motus, quia nullum in animum corpus suo motu cieri pot-
est, si neque etiam animae motus inest, ex duabus rebus motu
carentibus nullus motus exorietur. Nunquam enim ex simili- 8
bus geminatis contrarietas emergit, sicut nec e gemino fri-
gore calor, nec e gemino calore nascitur frigus. Verum cum 9
corpus hominis moveatur, neque a se ipso, neque etiam a per-
mixitione moveatur, frustra enim ab utroque dicetur moveri;
si eorum alterum est immotum, superest, ut ab eorum tan-
tum altero, id est ab anima moveatur. Cum vero esse animam 10
motus hominis causam certum sit, quid tamen ea sit, non-
dum satis inter mortales constat. Probantur a me nostri 11
Christiani tamen, qui eam substantiam esse dicunt carentem
corpo seque ipsam moventem ratione a Deoque creatam
mortis immunem. Ex quo autem aut quomodo creata sit, nec 12
nostra interest quaerere, nec humanae conjectatio mentis ca-
pit. Immortalem quidem esse, quanquam non me fugit, quibus
rationibus probent ii, qui se Stoicos aut Academicos profi-
tentur, quoniam scilicet id, quod per se movetur, semper et
est, et movetur, et sibi ipsi principium motus est. Quod vero 13
principium est, natum non est, quia nulla principii est origo,
nam, si aliunde gigneretur, principium non esset. Quod autem 14
natum non est, nec occidit quidem unquam, ergo anima im-
mortalis est. Quanquam non hoc me fugit, inquam, longe ta- 15
men ab illis aliter sentio, non de immortalitate ac motu, sed de
principio eius. Non enim, ut illi, immortalem esse censeo, 16
quoniam genita nunquam sit, sed quia mortis immunis a Deo
creata sit. Duo nanque sunt rerum immortalium genera. Unum 17
vere proprium immortale, quod a se et propter se et non ob
alium finem constat; sibi ipsi exordium sine ullo exordio,
caeterorum causa et origo; quem Deum aut natum aut inter-
itum esse non solum impossibile, sed assertu quoque nefar-
ium est. Alterum hoc primo longe inferius anima est.¹⁸

quae a Deo principium trahens nullo est unquam tempore defectura. Reliquum est ostendere apud inferos impiorum ¹⁹ animas cruciari. Enimvero si Deus est, ut nullae negant bar- ²⁰ barae nationes (nam quo pacto sine certo moderatore tanta rerum machina tot saecula tam constanti ordine regeretur?), is etiam sapiens ac iustus est. Cum vero totus bonitas et iu- ²¹ stitia undique perfectus virtute sit, an tu eum aequem putas bonos ac malos homines habiturum? An non improbi a legi- ²² bus, a ducibus optimis, qui pro legibus sunt, coercentur et pu- niuntur, contra boni laudantur et honorantur? Quae vero Dei ²³ esset sapientia, quae iustitia, si scelerum impunitatem non paenitentibus aequem, ac paenitentibus condonaret bonosque a malis, probos ab improbis non secerneret? Qui denique in ²⁴ terris pietati, religioni, fidei locus esset? Quis tot labores, curas, vigilias, opprobria, damna, caedes pro veritate susciperet? Quare non iure tantum, sed etiam necessario summus Deus iis, qui voluptatibus et libidinibus obcaecati flagitiis omnibus se totos contaminarunt, devium quendam a concilioque sanctorum remotum statuit locum, ubi suorum scelerum paenas luant. Qui sicubi locus figendus est, per- ²⁶ quam longissime a Dei beatitudine terrarum in profundo um- bilico locatus est. Impiorum enim animae terrenis vitiis vel- ²⁷ uti compedibus oneratae neque se ex imo attollere, neque Deum cernere unquam possunt; qua nulla paena gravior, nulla mors acerbior reperitur. Caeterum huic iam epistolae ²⁸ modus sit, quae satis tibi si fecerit, pergratum erit, sin mi- nus, plura coram disseremus, cum tu redieris. Vale. Floren- ²⁹ tia, Idibus Octobribus, MCCCCLXXII.

*Bartholomaeus Fontius
Petro Delphino, generali Camaldulensi S.* 20

Maurum fratrem se tibi addixisse vehementer gaudeo, ¹ non tam, quod tu eius ordinis princeps es, tametsi id quidem permagnum est, quam, Hercule, quod vir bonus, quod doctus, quod ab omnibus amandus es. Iam pridem enim innotuit morum ² tuorum sanctitas vitaeque integritas et bonarum artium sum- mum studium summa cum humanitate coniunctum. Quibus ³ rebus ita celeber factus es, ut, quicunque virtutem expetunt, et ament et praedicent nomen tuum. Ego vero, qui te ante per ⁴ me ipsum fama compulsus toto animo et cogitatione com-

plexus eram, adjuncta hac necessitudine fratris mei ardeo desiderio incredibili tecum loquendi. Quod quia propediem futurum spero, propterea brevius ad te scripsi. Interim si qua in re tibi usui esse possim, me ad omnia paratissimum fore polliceor. Vale.

Bartholomaeus Fontius Antonio Calderino S.

21

Desidia merito abs te arguerer, Calderine, nisi rerum publicarum suspensio hanc mihi tarditatem attulisset. Nam dum aliquem communibus malis eventum praestolor, diem ex die extrahens nihil adhuc rescripsi litteris tuis Lugduni signatis. Neque vero nunc scribo, quod quicquam sit certi et constituti, sed ne me aut hoc pestifero bello putas interiisse, aut tui, quod nunquam fieri posset, oblitum esse, vivo autem et memor equidem tui vivo ac tibi subinvideo, quod longe absis ab hac civitatis miseria. Nihil enim, si adesses, vel audires vel cerneres, quod non te maximopere angeret, nam nec speratam pacem habemus, nec diuturniori bello sufficimus. Laurentius Medices Neapoli adhuc est, Ferrandus quoque illi favet ex animo, sed adversatur maxime Sixtus pontifex. Veneti Robertum Malatestam imperatorem legerunt maioremque in dies cogunt exercitum. Nos quid agamus, incerti sumus. Nulla enim aegroto huic corpori absente medico medicina porrigitur. Saxettus occupationibus distractus maximis nihil ad te rescripsit, sed gratae fuerunt illi tuae litterae teque diligit. Vale. Florentia, III. Cal. Februarii, MCCCCLXXIX.

Bartholomaeus Fontius Buclero Gallo S.

22

Ex litteris tuis perhumaniter ad me scriptis summam cepi animo voluptatem, quod regiis in rebus te versari es- seque in primis aulicis intellexi, quam causam fuisse etiam dicis, ut ad me serius scripseris. Verum etsi excusatio tam honesta minime necessaria apud me est, ob id tamen maxime grata est, quod verebar, ne, nihil cum scriberes, te meus ille tardior asinus offendisset, ita ignavum est animal ac fustis egens. Sed postquam satis tibi fecit, ut scribis, neque indignus est visus inter maiores misceri equos, non stabuli modo, sed etiam culinae tuae rationem habere decrevi. Quare licet vos, Galli, bonos habeatis popinarum magistros, ad te tamen hunc transmisi cum his litteris coquorum omnium, quot sunt quot-

que fuerunt aut in posterum erunt, sapientissimum. Ex quo sane poteris carnium, piscium, olerum, pomorum bellario-
rumque omnium pro anni temporibus conditaram percipere.
In quo uno tantum artis ingeniique deprendes, ut non pluris
praecepta facias vel Pythagorae vel Platonis. Nam ex eo,
quicquid hominum generi conferat, quicquid mortales iuvet
atque oblectet, quicquid vitandum appetendumve sit, edisces.
Eum igitur non ut humilem coquum, sed magnum genialem
patronum in urbe, in agro, in otio, in negotio, in cubiculo, in ce-
naculo, in ientaculis, in prandiis, in cenis, in commessonibus
omnibus, si valitudinem tuam diligis, si rerum naturam scire cu-
pis, consulito. Neque vero erit avarior aut gulosior, nam neque
aliquid in culina devorabit, neque absument quicquam in cel-
lario aut penu, neque etiam in triclinio esse volet. Solo odore
contentus omniumque abstinentissimus. Unum tantum a te
petet neque sumptuosum nimis, ne pertimescas, ut amicias
eum et vestias. Quod ego nimiam ob festinationem eius ad te
mittendi, simul ut expeditior tam longum iter conficeret,
praetermisi. Vesties autem, ut arbitror, eum libenter, cum
ut eius saluti, tum ut tuae provideas utilitati. Nam et ipse nu-
dus in istis frigoribus non perduraret diutius et tu magnam
iacturam faceres, si tam sapientem coquum amitteres. Ve-
rum iam finis ridendi sit, ne Platiniano in coquo inepti simus,
qui asinum Apuleianum tam belle lusimus. Vale.

Bartholomaeus Fontius Marsilio Ficino S.

23

Non eram nescius Platonem nostrum de omni philoso-
phia non modo caeteris sonantius, sed etiam scripsisse divi-
nius, neque tam eram expers antiquitatis, ut orationis et
lyrae Cyllenium inventorem dulcisonumque Apollinem ac
blandiloquam Venerem ignorarem. Sed insita quaedam animo
libertas si quid in te uno Platonicorum principe in scribendo
desideravit, non tam, quid alii nostri facerent, quam, quid
eleganter te scribere cupientem deceret, significavi. Dixi
autem et dico prosaicae orationi tam crebro poeticos modos
inseri non licere, quoniam in soluto dicendi genere non me-
diocre vitium est a communi consuetudine et vulgari oratione
discedere. Quanquam enim in multis exornandi generibus
et in rebus diversis complectendis poetae finitimus est ora-
tor, ille tamen maiore licentia verborum numerisque paulo

astrictioribus utitur, hic vero laxioribus pedibus aures implens devitat omnem poetici cantus similitudinem. Quod si veteres interdum suis scriptis poetica dicta inseruerunt, longe aliud est, an poetarum exemplis testimoniisque utamur, an (quod ego nunquam probavi) solutam orationem in sonos poeticos efferamus. Nam ut illud summorum vatum sapit cognitio-⁶ nem, ita hoc verborum quandam inanem iactationem. Si ⁷ enim, ut sentire te ostendis, absoluta est musice, in qua dissonum nil auditur; si ea sunt carmina, quae perfectis numeris et eundem spectantibus exitum concinuntur; si prosaica est oratio, quae intra poeticos modos gravi et constanti pedum tenore graditur, vitium vel magnum est, prosae cum scriptor exeat in poeticam cantilenam. Quod ego non propterea tecum s⁸ contendo, ut tē a tuo stilo scribendi retraham, sed quia utrumque meum est et, quid ipse observem, tibi exponere, et de te libere tecum decernere, quanquam non sum tuae consuetudinis tam ignarus, quin more Academicō te mecum obluctatum esse intelligam. Tu vero gratissimum feceris, si crebro ad me de studiis tuis et cogitationibus omnibus quam familiariter scripseris. Evidem, cum per multas occupationes meas lice-¹⁰ bit, tam libenter litteras ad te dabo, quam ardenter tua scripta relego teque amo. Vale.

Bartholomaeus Fontius Angelo Politiano S.

24

Non abutetur amplius pudore nostro impudentia tua, ¹ neque se ulterius patientiam in nostram efferet ista effrenata audacia. Nam quando neque veteris nostrae consuetudinis, ² neque studiorum communium ulla te ratio ad sanitatem mentis potest deflectere, eo te curabo helleboro, quod maxime ad insaniam tuam conferat. Unde igitur tibi dementia tanta ³ exorta est, ut eruditissimos quosque homines audeas petulantissimus maledictis convellere? Tu nulli defuncto iam vita ⁴ ignoscis, tu viventibus omnibus detrahis, tu nobis maxime insultas, tu scire, ut unus, cuncta videaris, doctos omnis dilaceras. An hos inflatissimos spiritus ulla tibi bonarum artium dedit cognitio, quarum si quam teneres vel mediocriter, non tam ab omni humanitate discederes? An te grammaticum ⁶ profliteris, ab omni proprietate elegantiae Latina alienissime? An historicum, cum puerilia fulta et ostenta verborum ⁷ in Pactiana conspiratione detexeris? An poetam, cuius te ni-

hil appareat ex conquisitis semifuratisque versibus praeter
mentis furorem assecutum? Nam oratorem quidem te dicere
non auderes, cum ab omni dicendi consuetudine eloquen-
tiaque abhorreas. Quod si nulla te potuit ad tantam auda-
ciam impulsse bene percepta et cognita disciplina, quid ita
in utris inflati morem tumidis sermonibus insolescens pesti-
fero tuo spiritu doctos conficias? An adeo tui muneris Chri-¹⁰
stianae religionis, quae superbiam, ambitionem, dicacitatem,
libidinem comprimit, oblitus es, ut humana et divina iura
permiscens omnia nihilminus, quam te hominem esse et Chri-
stianum et sacerdotem intelligas? An ignoras magistrum et ¹¹
dominum et Deum nostrum dixisse? Discite a me, quia mitis
sum et humiliis corde, — et ab apostolo scriptum esse? Su-
perbis Deus restitit, humilibus autem dat gratiam. Quae si ¹²
aut legisti unquam, ut par est, aut credis, ut debes, quid tam
tumentibus animis et inflatis pulmonibus insolescis, non, quid
dicas, sed, quam male dicas, attendens et confictis menda-
ciis semper utens? Impudentissimi hominis et parati semper ¹³
ad lites est in puerorum circulis in probos et doctos viros
maledicta congerere. Eruditi nanque ac boni consuevere man-¹⁴
dare, quae sentiunt, litteris et non turpibus contumeliis, sed
utilibus scriptis de veritate contendere. Ede, ede, ut risum ¹⁵
pavonibus moveas, quae compilasti, denudanda cornicula.
Nam cum attrita ista fronte, quod tute ipse conscripsieris, ¹⁶
non tuum esse diffiteri non poteris, tum vero perpetuis volu-
minibus ignorantiam tuam et depravatum iudicium et inver-
sus a te mille scriptorum locos aperiam, quo tacitus lector
scriptis utrisque collatis diiudicet, quantum a nostro, quale-
cunque est, tuum istud distet tenebricosum ingenium. Cum ¹⁷
enim ad scriptio[n]em descenderis et pedem pedi contuleris,
cum triario milite cruentum esse tibi certamen senties. Ad ¹⁸
hoc ego singulare certamen abs te totiens irritatus nunc te
provoco. Ad hanc statariam pugnam tua petulantia impulsus ¹⁹
te invito. Ad monumenta virium, si quas habes, totiens la-
cessitus ostentanda iam te laccesso. Aude in clypeum assur-
gere, aude manum conserere, aude non latrando, sed scri-
bendo aliquod in nos spiculum intorquere. Evidem arbitrabor
pugnando tecum non solum contra te ventosissimum hominem,
sed omnes tui similes, ne amplius anseres oloribus obstre-
pere audeant, dimicare, ut de te docti et boni viri me vindice

iustissimum ducant honestissimumque triumphum. Tu modo ²¹
cognita mente mea tantam petulantiam oris si deposueris,
tibi ipsi plurimum consulueris; sin minus, graviora his lon-
gioraque expectato, ut omnem voluptatem, quam male de
me saepe ac multum loquendo cepisti, non bene de te legendo
amittas. Vale. Florentiae, XI. Cal. Septembbris, 1483.

LIBER II.

Bartholomaeus Fontius Iohanni Rosso S.

1

Tametsi vitae integritas et humanitas et eruditio tua in ¹
excolendis iis, qui tuo magisterio creduntur, nullius commen-
dationem desiderat, tamen aut aperte intelligas, quo amore
pietateque complectar, Cornelium, sororium nepotem meum,
quem tibi erudiendum discedens tradidi, tanto iterum stu-
dio eum tibi commendo, ut maiore affectu et caritate, si filius
unicus esset, commendare non possim. Quare mihi rem gra- ²
tissimam et optatissimam feceris, si non tanquam discipulum,
sed communem potius filium et litteris et moribus instituen-
dum susceperis. Quod equidem pro mutua nostra benivolен- ³
tia studiisque communibus et amanter et diligenter confido
te esse facturum. Nos vero in te neque ingratii erimus, neque ⁴
immeriores. Nam quando pro te plus etiam contenderimus,
quam possimus, nostro tamen desiderio satis nunquam fece-
rimus. Vale. Roma, VI. Idus Novembbris, 1483.

Bartholomaeus Fontius Demetrio Chalcondylo salutem. 2

Quae me antea nova vivendi ratio infirmum atque in- ¹
certum reddiderat, ea iam et usu ita est confirmata et volun-
tate constabilita, ut huc me venisse non multum paeniteat.
Sum enim in totius Christianitatis theatro amplissimo consti- ²
tutus, in quo, cum patientibus et certantibus magna praemia
proponantur, enitar pro viribus ferre omnia fortiter et di-
micare acriter, ut aliquam laborum et contentionum mearum
mercedem consequar. Quod si aut fiet serius, quam velimus,
aut, quod omnino absit, non fiet, laetabor tamen in reliquum
vitae tempus me amicorum consiliis obsecutum omnia tenta-
visse et optatis meis fortunam, non animum defuisse. Unum ⁴
iam quidem omnium pulcherrimum sum assecutus, quod in
hac urbe, altrice in omni genere litterarum praestantium ex-

cellentiumque virorum, ipse quoque ante tempus ad legendum publice sum adscriptus. Hoc volui, nescius ne esses.
Vale. Roma, pridie Cal. Ianuarii, 1483.

Bartholomaeus Fontius Iohanni Acciaiolo, Petri f. S. 3

Dum aliquid, ut par erat, ad te limatus politiusque scribere meditor maiusque temporis spatium commodiusque expecto, gravioribus semper curis oppressus diem die extrahens neque mihi satis neque etiam tibi feci tantopere litteras meas efflagitanti. Quanquam nunc etiam occupatior multo, quam soleo, haec scripsi, ne nihil scribendo putares, quod nunquam posset accidere, me immemorem tui esse. Te vero etiam atque etiam rogo, ut me, qui in his versor allatrantibus scopolis, crebro excites iocundissimis litteris tuis. Quas ad me quotiens miseras, magnis ac multis curiae huius molestiis me levaris. Demetrio nostro Chalcondylo me plurimum commendato immaturumque ei obitum Andreeae Brentii, discipuli quondam sui, nunc vero etiam collegae familiarisque mei peste perenne absumpti nuntiato. Vale. Roma, Idibus Februarii, 1483.

Bartholomaeus Fontius Laurentio Medici S. 4

Si post meam discessionem nihil adhuc litterarum ad te dedi, et vitae occupatio et curiae huius pontificiae stupor fuit in causa. Sed hodie mihi otio ad scribendum concesso et animo iam tempus in reliquum confirmato si paulo altius exorsus a te petam, quod mihi omnium maximum est futurum, dabis longitudini meae veniam. Ego vero cum eam vivendi rationem semper amassem, quae minime a contemplatione rerum disiungeretur, huc tamen ob eas causas, quae te minime latent, me contuli. Quod sane feci libenter sperans mihi fieri aditum ad maiorem sacerdotii dignitatem. At nunc ingenii horum hominum diligenter inspectis consilium meum damnare cogor. Nam, per immortalem Deum et magistrum et dominum nostrum Christum, quae est tanta dicendi vis, quae vitia curiae huius narrare possit? Aperuit asylum ab initio, urbem cum hanc condidit pater Romulus. Sed illi ex deterrimis in clarissimos industria et labore et legum observantia evasere. Christus autem, qui pro nostra salute humilitate assumpta cruci affigi humiliter passus est, cum bonis omnibus et honeste viventibus aeternam beatitudinem et pro-

miserit et tribuerit, hoc templum universae Christianitati aperuit, quod aliquandiu persancte cultum usque adeo postea est pollutum, ut omnium scelerum impunitas huc confluentibus concedatur. Nolle tamen, ut libere tecum loquar, non ⁸ huc venisse atque horum mitratorum capitum consuetudinem non habuisse. Nam si propterea Ulysses prudens est habitus, ⁹ quod post sacram eversam Ilion multorum hominum urbes et mores novit, si paucioribus ego mensibus, quam ille annis, longe plura cognovero, non minus hanc arbitror profuturam peregrinationem mihi, quam suam illi ad veram sapientiam assequendam. Etenim cum ex tota Christianitate homines ¹⁰ huc vel spe vel metu impulsi confluant, non ego Ciconum Laestrygonumve tantum, sed longe plurium gentium mores perspexero. Ac si ille Circen, Sirenas, Scyllam Charybdimque ¹¹ non sine magno tandem evasit periculo Ithacamque in illam suam pervenit asperam, ita quoque ipse in his positus portentosis Christianae religionis verticibus cunctis libidinum illecebris cupiditatumque omnium superatis in florentissimam istam revertar patriam. Neque vero si Orpheo, Musaeo, Me- ¹² lampo, Homero, Soloni, Pythagorae ac Platoni multisque praeterea clarissimis et in omni litterarum genere doctissimis viris magnae laudi est attributum exterarum gentium disciplinas longissimis peregrinationibus didicisse, debebit uni mihi vitio tribui domo procul hos Christianae fidei principes adiisse totque urbium, nationum populorumque mitrata capita in hanc coacta curiam percepisse. Cuius tandem moribus diligenter inspectis omnibusque rationibus et consiliis meis in unum subductis hanc feci summam cogitationum mearum omnium. Evidem si a bonis et sapientibus viris hanc ¹⁴ regi Petri apostoli navim cernerem, in ea libentissime na-
vigarem. Nam quid honestius, quid utilius, quid laudabilius ¹⁵ posset fieri, quam tam sancto navigio inhaerendo ad optatum litus magnis cum viris appellere? Sed in ea cum videam agi ¹⁶ misericorde omnia, non clavum dirigi, non vela attolli, non remigium disponi, huius autem vitae navigationem inter tot tempestatum procellas periculosam, hanc male rectam et fluctuantem naviculam, cum primum facultas data erit, egredi-
dar. Nulla enim tanta spes praemiorum aut honorum his me ¹⁷ demerget insanientibus fluctibus. Sanctitate quondam vitae, ¹⁸ morum integritate, doctrina, religione, a maioribus nostris

optimis praestantissimisque hominibus et constituta et adacta est Christiana res publica. At nunc ruimus, Laurenti,¹⁹ ruimus. Nulla viget amplius Christi fides, nullus amor, nulla pietas, nulla caritas. Non virtuti, non probitati, non doctrinae locus est ullus. Nam quid ego latrocinia impunita, quid avaritiam et luxuriam honestatas, quid omnem gulam et libidinem toto ex orbe accersitas commemorem? Afficio, me²¹ Hercules, tanto stupore haec intuens, ut hinc discedere, si mihi per te licuerit, cito cogitem, ne inficiar huius horrendae luis contagione, licebit autem per te, ut spero, ea benignitas tua est liberalitasque naturae. Verum enimvero neque apud te²² litteris impudens ero quicquam petendo, neque etiam longior in meo desiderio exprimendo. Petrus Philippus Pandolphinus²³ et Bernardus Oricellarius tecum de me agent. Oro te, quem-admodum semper antea consuesti, ita etiam nunc me ornes. Illa tua erit in posterum vera gloria, quae ob merita summa²⁴ extabit in cives tuos. Evidem semper, ut moribus primum, deinde ingenio a te probarer, elaboravi. Spem fidemque²⁵ meam omnem in te reposui. Huc etiam consulto prius honoratoque te contendi. Rerum experientia nunc edoctus reverti duce te atque auspice opto. Quare te obsecro,²⁶ ne deteriore conditione sit mihi reditus, quam discessus. Cum nihil sit in te non valde probandum, nihil est tamen amandum magis, quam innata quaedam liberalis animi tui bonitas. Nihil certe laudandum magis, quam ista tua in omnes beneficentia. In eo vero te statu fortuna posuit, ut multum possis. Voluntas autem et ratio ita instituit, ut semper velis²⁹ benefacere plurimis. Nulla sane re clarior fies atque aeternior, quam beneficiis dandis bonis praesertim viris et eruditis. Me quidem semper toto animo ad omnia promptissimum paratis-simumque habebis. Quicquid studio, industria, diligentia valebo, tibi tuisque liberis semper valebo. Roma. IIII. Non.³¹ Martias, MCCCCLXXXIIII.

Bartholomaeus Fontius Bernardo Oricellario S.

5

Si te discedens alloqui potuissem, et libenter fecissetsem¹ et necessario. Nam prudentia tua forsan in sententiam eorum non concessisses, qui amanter quidem, sed parum feliciter, ut huc venirem, persuaserunt. Sed quoniam id neque locorum² longissimo intervallo fieri coram neque temporis angustia

per litteras a te consilium capi potuit, contigit, ut omnino te
inscio huc contendiderim. Postquam vero e Mediolanensi lega-
tione reversum te intellexi, nihil adhuc scripsi, quod, cum
essem animo parum firmo, pro certis incerta scribere non
volebam praeoptans accusari abs te tarditatis, quam levitatis.
At nunc mihi, cum discedendum statuerim, omnem tibi men-
tis atque animi cogitationem aperiendam putavi, ut tua me et
auctoritate iuves et gratia, publicum legendi munus te adiu-
tore cum suscepisset, id mihi laboris plurimum allaturum
putavi, ut opinioni omnium, si qua forte de me esset, responde-
rem. Sed neminem aegre id unquam laturum existimavi. Verum
in quo meo honestissimo studio tranquille posse vivere arbit-
rabar, in eo sum tris annos (ut scis) perpetuis molestiis agi-
tatus. Quare dum tempori aliquantulum cedere et nomini ta-
men ac quieti consulere meditor, ecce ultro se (ut tunc putavi)
propitia, sed, ut re postea intellexi, pessima quidem fortuna
obtulit. Zenus enim Baptista cardinalis invisens Clusentinia
nostra Tempe me secum Romam promissorum spe plenum
duxit. Ego vero etsi satis in via sagaciter odorabar, qualis
mea esset futura venatio, et ex una etiam reliquas feras con-
iectabar, nolui tamen primae indagini statum credere, ne a
quoquam pusilli animi iudicarer, si ex ipso itinere, antequam
in silvam hanc descenderem, retrocederem. Veni itaque Ro-
mam futurorum prudens ac sciens, tanquam Amphiaraus
Thebas. Sed non propterea statim reverti volui, ne illaudatus 16
ingloriusque redirem. Quapropter magna contentione Idibus
Novembribus a Sixto obtinui, ut publice legendi provincia
mihi decerneretur. Hesterno quoque cinerum die coram 11
eodem pontifice cardinalibusque omnibus in magna patrum
frequentia orationem habui non iniocundam. Existimavi 12
autem apud vos gratissimos cives meliore conditione me fu-
turum, si in hoc totius Christianitatis theatro amplissimo
ostendissem florentissimam nostram urbem non solum opibus,
pulchritudine, viribus, sed litteris eloquentiaque excel-
lere. Accepisti, qua de causa huc primum venerim, deinde, 13
quid maxime hic quaesierim, nunc, quibus de causis disce-
dendum statuerim, brevi intellige. Cum nihil apud me sit vir- 14
tute doctrinaque amabilius, hic vero nullam aut bene vivendi,
aut recte sciendi rationem haberí videam, nullis adduci prae-
mis aut honoribus unquam possem, ut ad horum hominum

numerum me adiungerem, qui in ovium vestimentis lupi rapaces sunt et sub Christi pastorum nomine ovilia sibi commissa perdunt. Avaritia et luxuries et libido eorum expleri nequit. Ignorantia quidem et mentis caecitas tanta est, ut litteratos homines pro insanis, bonos autem habeant pro inquis. Non sacerdotia, non praefecturae, non honores, non dignitates virtuti meritisque praebentur, sed ad gratiam et libidinem conferuntur. Haec ego quotidie oculis cernens et sacra omnia incestari contuens ac, ne ad me quoque serpat contagio, extimescens ad vos evolare quam primum cogito. Quid enim foret aliud horum hominum dignitates appetere, quam subiicere me insanis vitiorum gurgitibus, quibus iugiter sursum deorsumque varie tandem agitatus obruerer? Non tamen me paenitet huc venisse. Nam ut semper est animus, quarum rerum sit expers, maxime cupidus, nunquam, Hercule, quievissem, nisi huius curiae mores ipsa experientia doctus essem. Caeterum quibus de causis cogitem discedere, cum cognoris, superest, ut, quid maxime velim, tibi exponam. Dedi hodie quoque ad Laurentium Medicem litteras, quibus scripsi me suppudere quicquam ab eo petere, sed Petrum Philippum Pandolphinum teque simul ei voluntatem esse meam explicatores. Opto autem ea conditione, quam tibi Giraldus exponet, reverti domum. Novi ego vos magnos viros magnisque negotiis impeditos. Ac propterea eum admonui, ut singulos vos, quotiens erit opus, conveniat locumque ac tempus de me attendi communi vestrum voluntate constituat. Pandolphinum tamen nobis libenter fauturum confidamus, te quoque tamen habere cupimus tuamque auctoritatem et gratiam, qua multum ad Laurentium potes, exposcimus. Quare te quaeso per meum in te amorem, ut non modo fautorem te pro mea dignitate, sed etiam ducem praestes. Quam si per te, ut spero, retinuero, quanquam ad meum singularem in te amorem nihil addi videtur posse, tamen, si pro te hanc lucem, qua nihil dulcius est, reliquero, meo erga te incredibili desiderio non satisfecero. Roma, IIII. Nonas Martias, 1484.

Bartholomaeus Fontius Ugolino Verino S.

6

Quibus rationibus tarditatem tuam excusavisti, me quoque eadem ad te purgabunt atque eo fortassis aequius, quo molestioribus curis cogitationibusque praepedior. Vivo

enim in hoc inflatissimo Euripo totius Christianitatis ac sursum deorsumque ita quotidie agitor, ut nedum scribendi, sed ne quidem, quid scribam, cogitandi liberum spatium concedatur. Itaque mecum interdum imbecillitatem humanam reputans non conniveo his insanis fulgoribus, quos fere omnes admirantur et cupiunt. Una enim est virtus, quae et facere nos et servare beatos potest, quam si scientia multarum magnarumque rerum exornemus, tum vero etiam aeterni et clari sumus. Non pandam igitur, ut mones, aspiranti fortunae sinus, ne demergar illius procellosis verticibus, tu vero, quod facis, te ipsum ne increpes, neve tuam cunctationem redarguas, sed laeteris, quod vivis in patria, et gaudeas, quod industriae tuae invideatur. Non enim surgentis fama Carliados ullum tibi honorem abstulit, sed veram laudem attribuit. An tu, poeta clarissime, dignitatem esse putas id assequi, quod est commune cum multis imperitis improbisque hominibus, quod vero proprium est, tuique caelestis ingenii non gloriam existimas singularem? An putas fore ullam tam ingratam ac tam rudem posteritatem, quae non te honoratissimum semper habeat? Vellem affuisse tuis Pannoniis epigrammatis, non, ut cupiebas, adiutor, sed potius inspector atque laudator. Nam quae ad me Sixto tradenda misisti, ei sunt fideliter redditia, quanquam nihil est, quod hinc spares. Nam qui non meritis poema dictat, consumit studio dies inani. Tu tamen perge aliquid quotidie scribere dignum te, dignum immortalitate. Is enim divinus et rectus et sanus furor laudabitur semper ab omnibus. Quo te suavissime urgente atque impellente non harenas istic fodis, sed sacros musarum latices hauris eosque amenissimos campos colis, unde fructus uberrimi colligantur. Neque vero te paucorum ingratitudo commoveat, ut alienas et barbaras sedes incolas. Nulla enim regia sunt praemia amicis et liberis et patriae conferenda. Quod ego antea, cum multa lectione perceperisset, nunc ita exerior in me ipso, nulla ut re tam angar, quam quod absim a vobis patria procul. Caeterum elegiam tuam concitatius ad me scriptam et libenter perlegi et diligenter. Qua nihil tersius elegantiusve hac aetate hominum est perscriptum. Eam, ut iubes, ostendam nemini, non quia nocitaram tibi, si edatur, existimem, sed ut obsequar voluntati tuae. Vale. Roma, VI. Id. Martii, 1484.

Bartholomaeus Fontius Francisco Saxetto S. 7

Petiisti a me, Saxette carissime, cadaver ut illud femineum
in Appia via nuper inventum, cuiusmodi esset, tibi significarem.
Qua sane in re non solum probo, sed etiam laudo vehementer
studium tuum in tantis occupationibus antiquitatis noscendae
percupidum. Sed vellem aequare posse scribendo cadaveris
huius formam et venustatem, quae incredibilis videretur
fideque ad' posteros careret, nisi totam urbem testem haberet.
Nam ut rem totam ordine tibi aperiam, operarii quidam fun-
damenta sepulchrorum ad inquirenda marmora ad sextum ab
urbe lapidem in via Appia eruentes munitum undique late-
ritium arcum humi decem depresso pedes cum evertissent,
marmoream capsam adinvenere. Qua aperta cadaver in fa-
ciem cubans odoro oblitum cortice repertum est digitorum
duorum ad crassitudinem. Capsa quoque omnis interior eis-
dem erat odoribus, tanquam tectorio quodam circumlita. Eo
suave fragranti amoto cortice facies, ut a capite ordiar, erat
suppallida, ac si eodem puella die sepulta esset. Capilli et
longi et nigri cuti tenaciter adhaerentes in nodum torti co-
mamque in geminam puellari more distincti reticulo erant
Serico intertexto auro obvoluti. Aures exiguae, frons brevis,
supericia nigra, decentes oculi albidiq; intus apparebant.
Nasus quidem integer atque adeo mollis, ut digito pressus
flecteretur et cederet. Labra erant in rubro pallentia. Dentes
nivei et exigui. Lingua tota a palato coccinea. Genas, mentum,
collum, iugulum spirantis credas. Brachia integra humeris
pendentia, quacunque duceres, sequebantur. Manus in longi-
tudinem patentes digitique teretes et oblongi cum translucidis
unguis atque adeo haerentes et firmi, ut velli ab interno-
diis nequirent. Pectus autem et stomachus venterque se in
latitudinem coaequabant et odoro amoto cortice candicabant.
Cervix quidem et renes sedesque statum suum et gratiam
obtinebant. Coxarum quoque ac feminum crurumque ac pe-
dum decus viventis faciem praeferebat. Ad summam et for-
mosissima simul et generosissima haec puella florente adhuc
Roma urbe appetet. Sed cum insigne monumentum, quod
supra terram extabat, multis ante nos saeculis eversum
fuerit, nullo titulo apparente et nomen et genus et aetas latet
huius tam insignis et admirandi cadaveris. Quod XVIII. Cal. 15.
Maii, anno a nativitate Christi quinto et octogesimo supra

mille quadringentos, Innocentii vero octavi anno pontificatus primo repertum, biduo post delatum est in Capitolium maximo populi concursu iussu conservatorum urbis. Vale. Roma, ¹⁶ XV. Cal. Maii, 1485.

Bartholomaeus Fontius Petrophilippo Pandolphino S. 8

Cum nulla sit ea melior institutio, qua ad rationem vitae et sapientiam erudimur, nihil a me putavi praestari posse Francisco, filio tuo utilius, quam si ea paecepta tradidisse, quae cum ad eius, tum vero ad caeterorum incolumitatem pertineant. Est enim operae pretium a teneris eum annis imbibere salutaria laudabiliaque admonita, quibus et ipse in posterum beatus vivat et haec insignis patria maxime floreat. Nam qualisunque fuerit educatio puerilis, talis aetas reliqua subsequetur. Te vero minime praeterit non modo hanc nostram, sed quascunque alias civitates semper tales fuisse, quales earum gubernatores extiterint. Ex quo tibi vehementer elaborandum est, ut non ipse tu modo, quod perfecisti, sed etiam tui liberi, quod maxime curas, ita consuescant et iuvant, ut populo de se specimen aequitatis et modestiae praebeant. Nam cum vulgus primorum sequatur vitam, hi vel probi malos corrigere, vel improbi bonos civitatis mores possunt corrumpere. Ego quidem ut filio tuo valde consulorem, ei dicavi Phocylidem, aequissimum et continentissimum hominem, ut eius admonitionibus perfecte vivere consuescat. Quem si colet et diligit, vir iustus fiet et temparans et clarissimus civis sapientissimusque evadet. Vale. Florentia, ⁸ pridie Id. Augusti, 1485.

*Bartholomaeus Fontius
Petro Delphino, generali Camaldulensi S.* 9

Summa tua in me humanitas et mea erga te observantia adhortantur id a te per litteras petere, quod rebus est meis percommode et tuis quoque non alienum. Popilianae ecclesiae ad undecimum a Florentia lapidem rectore aliquo indigemus cum ad sacrorum curam, tum etiam vesticarium. Qui id valeat aut diligentius agere aut fidelius, domino Mauro non habemus. In tua ista benignissima manu locatum est et plurimum prodesse nobis et dignitati tuae, cuius cupidissimi sumus, non obesse. Sacerdotio enim huic honeste legitimeque

incumbet. Clusentino agro erit vicinior. Poteris opera et industria eius, cum voles, uti. Ipse siquidem promptus paratusque est per omnem vitam et consiliis nostris obsequi et parare mandatis tuis. Nam sic recepit mihi ac multis amicis communibus. Eius autem eum constantiae puto fore, ut nunquam propositi huius paeniteat. Quare te oramus per dominum nostrum Christum, qui nunquam paenitentes neglexit, nunquam petentes reiecit, nunquam pulsantibus non aperuit, ut supplicantibus nobis eum concedas. Quod si, ut speramus atque optamus, praestiteris, et maximo commodo nos affecteris et tibi nos universos in aeternum devinxeris. Vale. Florentia, pridie Nonas Septembbris, 1485.

Bartholomaeus Fontius senatus Ragusiensi S.

10

A vestris honestissimis civibus, qui Florentiae negotiantur, vestro sum nomine vestrisque litteris adhortatus accedere ad iuuentutem Ragusiensem erudiendam humanitasque artibus informandam. Qua sane re potuit animo meo contingere nihil suavius. A tali enim senatu in istam urbem aequitate, prudentia, opibus, libertate in primis insignem ultro vocari cui non debeat esse quam optatissimum? Verum quanquam pergrata est mihi vestra de me voluntas atque iudicium, oblatam tamen a vobis conditionem suscipere non permittit cognatorum pietas de me pendentium et amicorum ratio a tam longa discessione me dehortantium. Vobis autem, praeclarissimi patres, quod me tali magisterio dignum iudicaveritis, immortalis gratias ago et habebo, dum vixero, vosque oro, ut in me vestrae rei publicae amantissimum, qua caepistis, benivolentia prosequentes me licet absentem non minus omnium vestrum fore, quam si vobiscum viverem, existimetis. Florentia, VI. Cal. Octobris, 1487.

Bartholomaeus Fontius Mathiae Corvino, regi Pannonio S. 11

Erat, Mathia Corvine, rex invictissime, nostra constans in urbe fama, quemadmodum felicitate ac virtute validas bello nationes domueras et quacunque victoria signa converteras, perinde, ut alter Mars, ingentes hostium strages semper edideras. Sed nondum, quae longe potiora sunt armis, cognoveramus, ut fortitudini animi et scientiae militari studium quoque vehemens adiunxeris artium optimarum. Ve-

rum ex quo Tadeus Ugholettus, vir disertus et eruditus hanc in urbem concessit ad tuam bibliothecam perficiendam, tum vero mirificus ardor musarum et divina mens ista cunctis innotuit. Quotiens enim Florentina civitas eum de tua benignitate in homines studiosos deque rectissimarum artium reparandarum immortali voluntate loquentem audivit, totiens est erga maiestatem tuam incredibili amore inflammata et tui magnitudinem animi admirata, qui in tantis maximarum rerum agendarum molibus et veterum scriptorum monumenta non sinas interire vetustate, et novorum ingenia excites magnis propositis praemiis et honoribus. Quod si superiores fecissent reges, non tam multi scriptores nobiles deperissent, neque tam diu in tantis tenebris humanissima studia iacuissent. Tu unus, serenissime rex, his turbidis temporibus affulisti maiestatisque tuae splendorem ad illustrandas artis honestissimas convertisti. Qua quidem ex re et in praesens afficeris per omnem orbem sempiternis honoribus, et ad omnem posteritatem aeterniorem laudem consequeris, quam aut Athenis Pisistratus, aut Alexandriae Ptolemaeus, aut Eumenes Pergami, aut olim Romae Caesar, nuper vero Nicolaus quintus pontifex bibliothecis insignibus publicandis. Illi enim praestantissimi principes iis civitatibus imperarunt, quae liberalibus disciplinis maxime tunc florarent, iisque viguere temporibus, quibus de nominis claritate inter se urbium moderatores maxima aemulatione contenderent. Tu vero et primus et solus istud amplissimum regnum, quod rerum a te sapienter feliciterque gestarum magnitudine decorasti, nunc quoque litteris et scientiis excolis et amabilius redditis mansuetissimis Musis, quae pridem ex omni Graecia electae, modo etiam a nostris principibus destitutae, a Gallis vero Germanisque neglectae ad te confugiunt teque unicum suum decus et certum praesidium venerantur, unde tua quidem perpetua et singularis gloria fuerit, sustulisse cunctis studiosis hominibus in regia tua signum, quo ex omnibus urbibus, gentibus, nationibus, populis ad te regem liberalissimum viri litterati convenient. Ego certe non in postremis tanta nominis tui fama compulsus tantaque tua benignitate in studiosos commotus incredibiliter ardeo pro mea virili conferre aliquid rectissimo tuo laudatissimoque consilio bibliothecae et studii publicandi. Itaque, quod nunc potui pro

angustia temporis, Tadem cum quibusdam meis opusculis ad te misi, quem non longo post tempore subsequentur maiora nostra in Valerium Flaccum nomini tuo dedicata volumina et tua celsitudine digniora. Interim hunc, oro, benignus excipe ¹² inter aliosque auctores in ista bibliotheca totius orbis terrarum nobilissima Fontium tuum repone. Vale. Florentia, III. ¹³ Cal. Februarii, 1488.

Bartholomaeus Fontius Mathiae Corvino regi S. 12

Ni veritus essem, ne meum officium ostentando memet ¹ ipsum putarer extollere, scripsisse pluribus, quae per omnia loca isthinc revertens de maiestate tua veris et sempiternis laudibus enarrarim quantoque studio et ardore apud omnis magnitudinem animi, aequitatem, prudentiam, liberalitatem extulerim cunctis libenter audientibus et collaudantibus. Unum tamen praetereundum non putavi Florentinos meos in ² primis esse totis animis erga serenitatem tuam conversos tibique summam optare felicitatem neque officiis neque studiis erga te ullis Italiae potentatibus cedere. Studiosi quidem ³ et boni viri et artium rectissimarum percupidi bibliothecae istius fama ad tuum nomen celebrandum una mecum scriptis perpetuis convertuntur. Quae adeo quosdam excitavit insi- ⁴ gnes viros, ut apud nos etiam Laurentius Medices nobilem Graecam ac Latinam paret bibliothecam. Ego tamen affirmare locis omnibus non desisto maiestatem tuam, quemadmodum vel pace vel bello rerum fortiter ac sapienter gestarum magnitudine caeteros antecellat, ita etiam in hac bibliotheca superaturam. Quo autem ea possit celerius perfici atque fa- ⁶ cilius, misi ad Iohannem Morenum scriptorum omnium indicem cum gentilium, tum sacrorum eique, quid mihi videatur agendum a maiestate tua, significavi. Cui me vehementissime ⁷ commendo. Florentiae, XVI. Cal. Octobris, 1489. ⁸

Bartholomaeus Fontius Iohanni Moreno S. 13

Postquam isthinc discessi, nihil adhuc ad te scripsi, quod ¹ ex itinere quem Budam mittere non habebam et corpore nondum valido, ingenio quoque eram ad scribendum languidior. Ex ² quo autem veni Florentiam, ea statim sum executus, quae pridie, quam discederem, a Mathia Corvino rege te praesente mihi mandata sunt. Verum quando eo animo est rex, ut ³

quemadmodum ceteris in rebus omnibus, ita quoque in hac bibliotheca alios principes antecellat, misi ad te cum his litteris librum cum veterum tum novorum auctorum omnium et gentilium et Christianorum in omni genere doctrinarum a me non sine multo labore et diligentia collectorum, ut videre possitis, ea quo sit ordine vobis instituenda. Vos autem recte feceritis, si librorum, qui Viennae describuntur, indicem ad nos miseritis, ne hic iterum transcribantur. De Italicis rebus nihil est novi, nam ubique in pace et otio vivitur. Neque, ut nunc se habent res, aliquod bellum cernitur. Exinanitis enim urbibus diuturnis stipendiis neque a Venetis neque ab aliis ulla Italiae potentatibus quicquam movetur. De Mathia vero Corvino nostro expectatio magna est, et quam pacem cum imperatore sanciverit et quid praeterea gesturus sit. Sunt, qui pro Dalmatia recuperanda depugnaturum, sunt, qui gloriosius contra Turchos iturum putent, non desunt etiam, qui fore otiosum existiment non prospera valitudine atque annis ad tranquillitatem vergentibus. Quod ad me attinet, tua in me humanitas et egregia liberalitas quanquam cogunt quotidie meditari, quibus officiis tibi facere satis possim, nondum tamen facultas concessa est amoris tibi mei significandi. Sed (mihi credas) remunerabor te brevi aliquo insigni diuturnoque munere. Nunc enim ingenium tibi non possum prae- stare meum, dum conor pro viribus Mathiam regem et illustrare insignius et exornare magnificentius. Cui me etiam atque etiam commendabis Balasthumque, praefectum curiae et Morepetrum et caeteros convictores nostros consalutabis. Vale. Florentiae, XVI. Cal. Octobris, 1489.

13

Bartholomaeus Fontius Roberto Salviato S.

14

Si quid unquam summa cum voluptate, Roberte, legi, Picum tuum proxima nocte legi duabus de causis, et quod a te, viro amicissimo missus erat, et quod auctorem operis per se amabam. Quem adhuc non legisse turpe mihi putabam fore. In quo ambigo, magisne mirer plurimarum maximarumque rerum complexionem, an in tanta varietate tam incredibilem ordinem, an in tam laboriosis descriptionibus elegantiam tantam orationis. Nam quid in Heptaplo commorem, quae maxime operum auctores commendant nullam esse loquacitatem, nullum tumorem et sine ulla livoris su-

spicione modestiam in omnibus singularem? Utinam vero
huic tuo suavissimo muneri consimile donum mittere potuis-
sem, quo cerneret animum in te meum significantius. At quod
potui, Budae orationem a me habitam ad te misi. Quam tu
ipse cum legeris, Pico quoque nostro legendam dabis, quem
omnium aetatis nostrae, quorum scripta adhuc viderim, in
omni doctrinarum genere praestantissimum iudico. Vale. VIII.
Cal. Decembris, MCCCCLXXXIX.

Bartholomaeus Fontius
Guglielmo Roccifortae, Galliarum cancellario S. 15

Cosmus Saxettus cum propter amicitiam, quae mihi
summa cum Francisco parente fuit, tum propter suavissi-
mos eius mores et praecipuam quandam humanitatem est
animo meo perquam carissimus. Is per litteras mihi signifi-
cavit antiquitatis noscendae te cupidum valde optare, quae
olim veterum monumenta collegerim. Quare cum me totum
ad te amandum iam pridem fama tui nominis excitaris, hanc
meae erga te optimae voluntatis declarandae idoneam nac-
tus occasionem eum ad te librum transmisi, ut huic tuo ho-
nestissimo desiderio inservirem. Nam cum tantum studiosos et
doctos ames, quantum quotidie a multis intelligo, incredibiliter
cupio tibi Galliarum primario et litteratorum patrono gratifi-
cari. Cui rem cum pergratam effecero, non ipse tibi officium
praestitisse, sed a te accepisse mihi videbor. Vale. Florentiae,
III. Cal. Decembris, 1489.

Bartholomaeus Fontius Federigo Saxetto S. 16

Ex quo non vulgari amore facti amici sumus, sed libe-
ralis disciplinae communione, qua in una plus est fidei, quam
in ullo alio necessitudinis vinculo, ea te absentem hortari co-
gor, quae totius vitae tuae conferant dignitati. Cum nihil
virtute sit amabilius aut praeclarius, ea vero rectissimis ar-
tibus nostris perficiatur, nunc, dum res et aetas patitur, haec
nostra humanissima studia toto animo complectare. Quae
nisi quis cito, dum potest, perceperit, nunquam omnino con-
sequi poterit. Qui vero in his a puero multum profecerit, fa-
cile ac brevi cunctos disciplinarum gradus ascenderit. Tu qui-
dem cum et ingenio valeas et institutione nostra plura intel-
ligas, si, quae a nobis accepisti et quae iam per te potes,

saepe ac multum recolueris, brevi cursu optatam metam contigeris. Ante omnia vero pudorem et verecundiam cole, quae cum omnem aetatem, tum maxime pueritiam adolescentiamque exornat. Non nisi vero probis modestisque viris et earundem artium et laudis studiosis te adiungas. Cum his enim si frequens fueris, opinionem cunctis afferes te eorum futurum persimilem, quos tibi ad imitandum delegeris. Vale. Ghiaceti, XII. Cal. Augusti, 1490.

Bartholomaeus Fontius Petro Fannio S.

17

Putaresne me unquam fore tam inconstantem, ut certo in proposito non persisterem? Querebar in urbe tecum multis rerum angustiis agitari ad levandasque curas animi in agro vivere satis arbitrabar. Huc postquam veni, rursus doleo carere urbe, amicis, necessariis omnibus. Itaque infirmus ac levis ubique torqueor incertus, quid consilii capiam, aut quid agam. Huius autem distractionis animi est causa, quod nullis adhuc iactis in vitam reliquam fundamentis nullisque validis praesidiis constitutis nunc ad maiora trahor, nunc vitio forsan aetatis retrahor aestuantis in undae morem. Quandoque enim cu[m] cogito me et natura non ineptum et rerum non minimarum scientia instructum, suppudet isthic me tanquam in tenebris et hic, velut in solitudine vivere. Quare anxius segnitiem meam reprehendo reges magnosque duces adire meditans. Interdum vero cum rerum humanarum imbecillitatem considero atque oculos mentis in caelum erigo, inani rerum mortalium spe reiecta praesentis vitae statui acquiesco. Quod cum saepe alias, tum hodierno die maxime contigit. Nam cum Pelagi triduum fuissem apud Paulum nostrum nullis in aliis sermonibus, quam de rebus communibus, Ghiacetum reversus, de via fessus et aestu solis defatigatus in cubiculo cum quiescerem, horum temporum conditionem et civitatis nostrae corruptos mores et vitae huius varietatem considerans mecum talia sum locutus: O me miserum, qui cum hac mortali vita nihil imbecillus esse certnam, in qua tot fluctibus circumdamur, ut ne momento quidem horae non agitemur, me velim saevientibus undis immergere! Quid enim est aliud humanas appetere dignitates, opes ac divitias quaerere, quam subiicere me immensis vitiorum gurgitibus, quibus iugiter vexatus sursum deorsumque

fluctuans tandem obruar? Errant quidem mortales, errant, ¹¹
haec turbida maria dum adnavigant vel ambitioni deservientes
vel colla iugo avaritiae subiicientes, quasi vero nobis vivere
datum sit, ut terrenis cupiditatibus serviamus, non ut cae-
lestia bona contemplemur, ut huius vitae navigationis bene
confecto cursu in portum sempiternae aulae veniamus. Quid ¹²
ergo demens excogito in rebus inanibus et caducis tempus
absumere? Honoresne quaero? At cum verus honos praemium ¹³
sit virtutis, quis honos, quae dignitas, quae gloria maior erit,
quam quae bonis artibus acquiretur? Divitiasne appeto? At ¹⁴
quot labores et solicitudines praebent, dum aut, qui non ha-
bet, ut inveniat, nunquam quiescit, aut, postquam habuerit,
semper metuit, ne amittat? ad haec nullum vitium est, cuius
non avaritia sit parens. Pervertit enim animum, rationem ¹⁵
aufert, consilium impedit ac veri iudicium tollit. Cur igitur
stabilia pro infirmis, certa pro dubiis, tranquilla pro turbu-
lentis, perpetua pro caducus relinqu? Ac non potius ea mihi ¹⁶
certa praesidia vitae paro, quibus nullae rerum mutationes,
nullae fortunae turbulentissimae tempestates nocere possint?
Aufert haec quaesitas opes, cum libuerit, et honores, virtu-
tem vero scientiamque non adimet. His et multis aliis eiusce- ¹⁷
modi, quae longum esset enumerare, inter cubandum tacite
repetitis refecto corpore et exhilarato animo assurrexi haec-
que statim ad te scripsi, quem cupio habere ut socium stu-
diorum, ita etiam cogitationum mearum omnium. Vale. Ghiac- ¹⁸
ceti, XI. Cal. Augusti, 1490.

Bartholomaeus Fontius Iohanni Pontano S.

18

In communi maerore omnium tam importuno tempore ¹
expectatione magnarum rerum cunctis Gallis Italisque sus-
pensis gratulerne tibi magis, an doleam, Pontane, nescio.
Nam ut Ferrandum amissum regem, quem cunctae Italiae ²
urbes revererentur, degravat animum, ita etiam levat Al-
phonsus paterno regno hereditario iure parto. Te vero decet ³
quam maxime a cogitatione amissi ad spem modo assumpti
regis mentem reflectere et tantum alumnū tuum tuisque
praeceptionibus optimis institutum ad aequitatem ac fidem in
pace, in bello autem, quod acerrimum a Gallis instat, ad animi
robur fortitudinemque incendere. In eo quidem te gradu ⁴
industria et eruditio et, quae cuncta humana vertit, fortuna

posuit, ut, cum omnia unus ad eum possis, quodcunque vel recte vel perperam illi cesserit, tibi sint omnes homines adscripturi. Quare quas Italas potes urbes, ei adiunge, Hispanos ac Germanos concilia, ante omnia quacunque conditione cum Gallis paciscere. Sin minus, invicto animi robore dicimantes, virtuti si vestrae fortuna inviderit, non incruentam victoriam hostibus linquite. Vale. Florentiae, Idibus Martiis,⁷ 1493.

Bartholomaeus Fontius Raphaeli Brandolino S. 19

Si ei benivolentiae, quam mihi tecum fama prius conciliavit, deinde tua humanissime ad me scripta epistola confirmavit, ut non defuit studium et voluntas, ita etiam temporis oportunitas affuisset, honesto desiderio tuo satisfecisset. Quaesivi enim et quaero summa cura et diligentia, qualem petiisti adolescentem idoneum legendo et scribendo et ministrando et mandatis omnibus exequendis, sed mira talium adolescentium est hic paucitas ac, si qui sunt, neque precibus, neque adhortationibus, neque pollicitationibus ullis divelli possunt ab amantissimis patronis eorumque liberis, quos et diligunt et erudiant. Instabo tamen grammaticorum ludis, rimabor civium domos, scribam ad propinqua oppida. Tu quoque in ista Romana curia, in quam confluunt ex omni Christianitate vegetissima quaeque ingenia, elabora, ut, si nos hinc tibi, quem cupis, mittere non poterimus, isthic invenias, quem exoptas. Vale.

Bartholomaeus Fontius

Petro Soderino, iustitiae vexillifero perpetuo designato S. 20

Legatis ad Attalum regem missis ad matrem Idaeam¹ Pessinunte Romam advehendam oraculum Delphicum consulentibus responsum est compotes voti Romanos fore, sed, in urbem cum advexissent, qui optimus Romae esset, hospitio deam susciperet. Qua de re P. Scipionem, P. f. optimum in civitate centum conscripti patres iudicavere. Te absentem² vero bis mille senatores liberis suffragiis tertium repetitis semperque numerosius redditis, quod faustum felixque tibi ac tuis et patriae sit, non modo optimum, sed magnis rebus gerendis aptissimum moderandaeque civitati fide, consilio, aequitate, prudentia praestantissimum iudicantes perpetuum iustitiae vexilliferum creaverunt omni Florentino populo

probante. Quod totius civitatis de te iudicium quisque sibi mallet, quam opulentissima regna validissimaque imperia. Itaque cum egregia corpore dignitate gentilicioque splendore et patris tui clarissimi viri grata memoria et fratrum ac nepotum tuorum populari ate atque modestia et scientia et virtute et magnitudine unimi ascenderis gradum altissimum civitatis, decet et aequum et pium est te publicae utilitati consulere Florentinique populi erga te benivolentiam singularem conservare facilitate, mansuetudine, fide, beneficentia et urbium conservatrici iustitia. Pro qua graves et fortes cives malunt mortem oppeteret, quam honestatem iustitiamque deserere. Ego vero tanta tua potestate et immortali gloria incredibiliter laetor tibique ac rei publicae gratulor, quam scelerum impunitate oppresam duce te suas pristinas opes brevi recuperaturam confido. Vale. Flor., X. Cal. Octobris, 1502.

Bartholomaeus Fontius Francisco Soderino cardinali S. 21

Minimus equidem tuorum omnium, reverendissime pater, sed observantia et fide erga te maximus non tam cardinali tibi nuper creato, quam bonis et studiosis viris et ecclesiae Dei gratulor, siquicem nos habebimus rectarum artium et communium studiorum praesidium, in quo nostra honesta desideria conquiescant. Sed ipse tu vexabere gravioribus curis et infinitis laboribus. Nam si episcopus antea expectationi multorum non sine crebris vigiliis et solicitudinibus respondisti, nunc positus eminentiore in specula meditare tecum et cogita, universo Christi no orbi si facere satis voles, quod certe, ut par est et decet voles, quanto asperioribus confidere molestiis te Italae multae urbes, multae exteræ nationes, multi excelsi principes, multi suspiciunt reges. Nostra quidem res publica non minus in te confidit, quam in suum perpetuum iustitiae vexillifrum, fratrem tuum. Sacrosancta Romana ecclesia hanc speratam exoptatamque dignitatem tuam existimat sibi magnopere profuturam teque posthac divino munere sublimius fastigium ascidente se tandem aliquando victoram sperat antiquis legibus et apostolicis moribus. Itaque vides, quanto studio, labore, industria, cura, diligentia, contentione maiore, quam unquam antea nitendum sit, ut virtute ac meritis adeptam invidiaeque subiectam amplitudinem serves. Experiere (mihi crede) nihil in vita praesenti:

durius, nihil in futura periculosius, quam cardinalatum pontificatumque gerere Deoque simul hominibusque placere. Veruntamen tibi cum sit adnavigandum tempestuosum hoc pelagus et agitatae ecclesiae sapienter et fortiter consulendum, etiam atque etiam te adhortor, non aurata corymba, non Sericos rudentes, non purpurea vela, non remos argenteos, non Attalicas vestes, sed ingentes illas animi tui virtutes et singulares ingenii dotes spectandas admirandasque cunctis in ecclesiae navi explices, ne te magis cardinea sublimitas illustrasse, quam tu illam decorasse sanctissimis moribus et sapientissimis consiliis videare. Ac quoniam quanto quis magis opibus et honoribus fulget, tanto magis ministris et familiaribus indiget, quorum improbitate minus interdum felices magni et excellentes apparent principes, et hoc quoque prospectent omnes te tui habere persimiles studiorum tuorum consiliorumque socios et gerendarum rerum participes. Hoc erit iocundum bonis, gloriosum tibi, pergratum Deo, quem orare non desino, te diu praestet nobis et patriae et ecclesiae suae sanctae incolumem. Vale. Flor., die XX. Junii, 1503.

LIBER III.

Bartholomaeus Fontius Francisco Pandolphino sal. 1

Brigidae sororis discessione cum vitae meae portio maxima demigrarit, non potui non dolere, amantissime Francisce, et vehementius forsan angi, quam decuit studiosum et gravem senem. Dolui tamen et doleo non ulla animi mollitudine, sed recordatione eius in me officiorum et molestia secutorum incommodorum. Dilexit enim illa me semper affectu sororio et de me valde solicita magis, quam ego ipse, mihi metuebat, aegrotanti ministrabat, bene valenti providebat, comiter amicos excipiebat. Ipse domesticis curis solutus quieto animo litteris et sacerdotio incumbebam. Quibus omnibus nunc privatus commodis, multis praeterea amicis et Mauro fratre intra paucos annos orbatus cum neque publice profitendo foris habeam, quo avertam dolorem meum, neque domi inveniam, quod unicum solamen relictum erat, in hoc novissimo funere omnes acerbitates superiorum funerum recruduerunt. Veruntamen Paulo apostolo admonente neque contristor de fratre neque de amicis dormientibus. De sorore vero, cum semper pudice moderateque vixerit et me fratrem

et Cornelium filium moriens viderit et sacramenta ecclesiae cuncta suscepere ac septimum et quinquagesimum annum agens in ulnis meis decesserit, nulla est aequa causa, cur contrister. Homo tamen cum sim non alienus a sensibus, sororis unicae incredibiliter semper a me dilectae desiderio moveor exemplo etiam magnorum sapientissimorumque hominum. Nam et Abraam Sara coniuge defuncta indulxit⁶ lachrymis! Et Ioseph faciem deosculans extincti patris amare flevit. Et David in Saulis ac Ionatae Abnerisque ac Absalonis funere lachrymis et luctui non pepercit. Quin etiam dominus⁷ ac Deus noster Ihesus Christus ut humanitatis mortalitatisque nos moneret, ad Lazari monumentum infremuit spiritu. Ego tamen non immemor rationis et mentis memorque⁸ nostrae mortalitatis non tam illius defunctae vicem lugeo, quam meam indoleo, qui meorum et sanguine et amore coniunctissimorum funeribus supervixerim relictus multis ferendis humanis incommodis. Instant morbi et mortes carissi-⁹ morum. Instant exilia et egestates. Instant amarae solicitudes finemque mali unius sequitur accessio semper alterius. Quare mihi quidem bene videtur actum cum Petrophilippo,¹⁰ parente tuo, viro praeclarissimo meique amantissimo cumque Paulo Ghiacceto, amico optimo caeterisque amicis dormientibus, quoniam adepti finem praesentium aerumnarum sunt procul ab omni metu futurarum calamitatum. Sorori quoque¹¹ meae bene consultum existimo, quod me non viderit morientem, non illachrymarit ad tumulum, non se luctu et squalore confecerit. Quae tamen cum esset aetate minor, iustius illi¹² me deflere, quam mihi illam contigisset. Ego vero solus et senex non amplius eam aspicio, nulla verba referentem audio, casta oscula offerentem non deosculor. Nil mihi sine te, so-¹³ ror, amplius erit iocundum. Nil me tristem solabitur. Nil me levabit afflictum. Haec gravant, Francisce, animum. Haec continue opprimunt. Haec defunctae augent desiderium Quas certe amaritudines, si adesses, magna ex parte dele-¹⁴ nires iocundissima consuetudine et collocutionibus suavissimis. Sed nimis longo intervallo abes et locorum et temporum, si quidem legatio ista Gallica videtur mihi futura longior, quam sperabam. Nanque publicam rem apud regem tam¹⁵ prudenter agis, tam diligenter interdum futura significas, ut multi dicant legari tibi successorem non oportere. Quae de

te constans opinio quanquam grata mihi est, me tamen laedit, quod et careo dulcissima consuetudine tua et vereor, ne res etiam laedat privatas tuas. Nam de te pendentes uxor et ¹⁶ nubilis soror praesentiam tuam desiderant. Domusque iam nimis diu te absente non retinet pristinam dignitatem suam. Iohannes autem frater, qui haec omnia diligenter curaret, abesse (ut scis) ab urbe Roma non potest. Quare tu pro tua ¹⁷ prudentia, quod optimum putabis, efficies, Ego Montemur-lensibus tuis rebus multo magis, quam meis providebo et, cum mente paululum conuiuero, te faciam de illis et de toto statu meo diligentissime certiorem. Vale. Ex Gignoro, Calen- ¹⁸ dis Augusti, MDVI.

Bartholomaeus Fontius Iohanni Nesio sal.

2

In M. Tullii vita a Leonardo Aretino edita haec te ad verbum legisse scribis: Denique abeuntem consulatu habere contionem et apud populum loqui de rebus suis, ut mos erat, Metellus prohibuit, tantum ut iuraret sibi permissum. Ille autem magna voce iuravit non solitum iusurandum, sed aliud pulcherrimum, quod populus postea magna voce iurasse iuravit. Atque haec Leonardus ex ea sumpsisse tibi videtur epistola, quam ad Q. Metellum Nepotem in quinto volumine scripsit Cicero, ubi ait: Nam cum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permetteret, magna voce iuravi verissimum pulcherri-mumque iusurandum, quod populus item magna voce me vere iurasse iuravit. His tamen verbis cum, quid iuraverit, ² Tullius non expresserit et Leonardus etiam non adverterit, de me quaeris, an apud quempiam veterum unquam legerim, quod illud fuerit iusurandum. Evidem apud Asconium Pe- ⁴ dianum super oratione Tullii in Pisonem ita scriptum legisse memini. Ego cum in contione abiens magistratu a tribuno plebis dicere prohiberer, ea, quae constitueram, cum his mihi tantummodo iurare permetteret, sine ulla dubitatione iuravi rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Vale.

Ut Romani veteres Saturnalibus, ita nos domini nostri ⁶ Ihesu Christi natalibus amicis munera missitamus. Unde ego nullas habens tabulas, neque signa, hoc tenue munusculum ad te misi. Sed quanquam tenue nec antiquis vatibus conferendum, non tamen ullis imaginibus posthabendum. In illis ⁷

enim nihil appareat praeter effigiem corporis, quae nullam vel vivis vel mortuis laudem parit. In hoc vero, si, qualem cupimus, fuerit, in dies clarior apparebis. Vale.

Bartholomaeus Fontius Spicae salutem.

3

Non recte a quopiam, quae sit excommunicatio, potest 1 percipi, qui, quae sit communicatio, non cognoverit. Ea vero est vitae ac victus communis participatio. Quae quidem bifaria 2 sumitur: Una saecularis pertinens ad communicacionem temporalis huius praesentis vitae, de qua consulti iuris secundum leges et instituta saecularium principum civitatumque tractant ad aequitatem iustitiamque servandam; alia ecclesiastica secundum sacros canones spectans ad animam in vitam aeternam perducendam. Atque haec ecclesiastica 3 communicatio, de qua sententiam meam quaeris, bifariam quoque accipitur. Nam vel ad Deum, vel ad proximum pertinet. Ad Deum communicatio facientis gratum gratiae status 4 est, cui adversatur excommunicatio omnis, quae ex mortali peccato gignitur. Atque haec excommunicatio minor dicitur latens quidem et quae paenitenti et confitenti a solo confessore dimittitur. De qua dictum est a domino illi leproso a se 5 mundato: Vade, ostende te sacerdoti et offer munus, quod ostendit Moses in testimonium illis. Ad proximum vero com- 6 municatio patens et publica est eorundem sacramentorum ecclesiae allocutionumque ac vitae victusque communio, cui ecclesiastica excommunicatio et irregularitas adversatur. Quae consideratur dupliciter. Nam quaedam est omnino sine mortali 7 peccato, veluti bigamia et lepra et servitus et mutilatio et sententia lata de morte hominis ex officio et caetera id genus ab exercitio divinarum administrationum et ab ordinum susceptione repellentia. Quaedam vero est ex peccato vel existente vel 8 praesumpto, veluti excommunicatio latae sententiae ab homine, vel a iure propter mortale peccatum cum contumacia vera vel praesumpta. Quae a iure fertur, generalis est in 9 transgressores omnis, ut in homicidas, in sacrilegos, in incendiarios et id genus caetera. Atque haec utilis et necessaria et apostolica est. Quae vero modo hunc, modo illum nominatim alligatis fertur a iudice vel ab homine, specialis est. In qua et causa et voluntas inferentis et patientis consideranda est. Cuius quisque sibi conscientius est. Deus certe et apo-

stoli ferri eam in debitorem non potentem solvere aegre ferunt ac tanto aegrius, quanto debitum minus est. Non ob aes alienum,¹² sed ob contumaciam, scio, hic iudices exclamabunt. Sed videant, ne forsan ipsi excommunicentur a domino, quia fuerint causa contumaciae.

*Bartholomaeus Fontius
fratri Simoni Cinozo ordinis praedicatorum.*

4

Cum non probares, frater carissime, quod Petrus apostolus in itinerario, quod Clementi adscribitur, de veris signis venturi loquitur Antichristi auctoremque operis iudicatum apocryphum elevares, quoniam contradiceret Paulo ad Thessalonenses scribenti de signis Antichristi mendacibus, ubi primum reverti domum, in Augustini de civitate Dei libro vigesimo et capite decimo nono haec ad verbum scripta legi: Praesentia quippe eius erit, sicut dictum est, secundum operationem sathanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacii et in omni seductione iniquitatis, his, qui pereunt. Tunc enim solvetur sathanas et per illum Antichristus in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Quod solet ambigi, utrum propterea dicta sint signa et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut, quod non facit, facere videatur. An quia illa ipsa, etiamsi erunt vera, prodigia ad mendacium pertrahent credituras non ea potuisse, nisi divinitus fieri virtute diaboli crescente maxime, quando tantam, quantam nunquam habuit, acceperit potestatem. Non enim, quando de caelo ignis cecidit et tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Iob uno impetu absumpsit et turbo irruens et domum deiiciens filios eius occidit, phantasmata fuerunt, quae tamen fuerunt opera sathanae, cui Deus dederat hanc potestatem. Haec Augustinus. Cui adstipulatur Iohannes Gerson, theologus excellentissimus in libro de verarum visionum a falsis distinctione ita scribens: Nec reclamaret propter Antichristi miracula, quae nonnulli vera fore contendunt ad probationem electorum et reproborum subversionem, licet tamen Antichristus minister miraculi mendacissimus erit et in vita sceleratissimus. Sed Deus, ipsi suisque miraculis ne crederentur, per suas aliorumque praenuntiationes innumeratas reclamavit atque contradixit. Propter quod inexcusabilis erit sibi credens.⁹

Idem eisdem in visionibus non multo post ait: Nihil bonis moribus aut sincerae fidei contrarium angeli sancti et prophetae veri praedicunt aut praecipiunt. Non sic daemones vel Anti-¹⁰ christus, quorum signa dicuntur signa mendacii, quia ad mendacium credendum inducunt. His duobus gravissimis p-¹¹stantissimisque theologis accedit Nicolaus Lyra super eisdem verbis Pauli sic scribens: Nam aliqua fient per illusionem sensuum a daemone, quae videbuntur esse et non erunt et aliquae erunt res verae, sicut daemon super oves Iob fecit ignem verum descendere. Dicuntur tamen signa mendacia, quia fient ¹²ad assertiorem mendacii. Accedit his quartus Georgius Benignus, insignis aetate nostra theologus libri octavi de natura angelica capite decimo septimo haec referens: Possunt itaque daemones multa omnibus hominibus admiranda facere applicando causas activas passivis. Quae quidem non erunt phan-¹³tasmata, sed re ipsa talia. Omnia tamen dicuntur signa mendacia ex eo, quia fiunt ab eis animo decipiendi. Ex his facile ¹⁴datur intelligi Petrum apud Pseudoclementem non dissentire a Paulo. Cuius itinerarium licet apocryphum in decretis ¹⁵distinctione quindecima et sextadecima iudicatum equidem non erubui testem adducere, quando etiam Gerson verarum falsarumque visionum testem protulerit. Tu vero iam potes ¹⁶et certe debes tantis auctoribus credere signa prodigiaque mendacia Antichristi, non, quia non vera multa futura sint, sed quia credituros ad mendacium pertrahent ab apostolo Paulo appellari. Negasti etiam, amantissime frater, moveri ¹⁷caelos ab angelis Dantemque poetam contempsisti. Quanquam non ea primum opinio Dantis fuit, sed peripateticorum principis, Aristotelis, a quo nostri quoque theologi non dissentunt. Inter quos idem Iohannes Gerson in trilogio astro-¹⁸logiae, propositione tertia decima scribit angelos vel intelligentias non animare, sed regere caelum cum sideribus et planetis ad Dei gloriosi voluntatem. Georgius quoque Be-¹⁹nignus de angelica natura primo ac quarto voluminibus de caelorum motoribus scribit angelis. Te vero etiam atque etiam ²⁰rogo, ut Dantem legas, quem docti viri et admirantur et diligunt. Quo diligenter inspecto non vereor de tanto vate ²¹maximoque theologo te sententiam mutaturum.

Bartholomaeus Fontius Bernardo Oricellario S. 5

Non modo ad portum Neapolitanum commissum prae-¹
lium, sed historiam totam Gallicam tuis in hortis biduo legi
attentius cum Dante Populescho utriusque nostrum amantis-²
simo. In qua, nescio, magisne laudem genus dicendi grave
crebris exornationibus perpolitum, an dilucidum ordinem in
locis et castris et certaminibus referendis, an singulare iudi-²
cium in consiliis principum et bellorum causis cum impera-³
torum ac militum vel vitiis vel virtutibus enarrandis. Quae
abs te omnia tam dilucide, tam apposite, tam fideliter sunt
relata, ut, cum summo artificio singula quaeque decenter
scripseris, in omnibus tamen artis suspicionem vitaveris
egregius et excellens scribendi artifex omnium nostri tem-⁴
poris ingenio et eloquio eminentissimus. Quare te etiam atque
etiam hortor, ad exitum perducas tantam historiam tibi qui-⁵
dem aeternum nomen, legentibus magnam utilitatem, patriae
summum decus allaturam. Quae in Gallorum regis tanta
felicitate atque victoria tantoque totius Italiae metu desi-⁶
derat iocundissimum conspectum tuum sapientissimumque
consilium, quo ne prives cives tuos, liberos, cognatos, affines,
amicos omnis nosque in primis, te vehementissime oro. Cae-⁶
terum ne locorum Gallicorum, quae petis, oblitus videar, ea
penes me non sunt et, quae Saxetti erant, iam pridem ad Pan-⁷
nonios migravere. Sed passim circumferuntur in impressis
Caesaris commentariis. Vale. Florentiae, Cal. Iuniis, 1509. 7

Bartholomaeus Fontius Ioanfrancisco Zeffio S. 6

Tanti fuere litterae tuae amantissime ad me scriptae, ¹
ut hyeme adventante statuerim, qualiacunque sunt, quae
scripsi, edere et obsequi tibi magis, quam mihi ipsi. Distuli ²
autem hactenus non limae causa, quem vel ad stomachum
usque laborem nunquam effugi, sed aequi, honesti pudoris.
Quid enim minus decet nunc sacerdotem, quam insudasse ³
tam diu poetis interpretandis gentilibus et modo Latiis, modo
Tuscis decantasse carminibus? Nam Politiano Ficinoque ex- ⁴
ceptis, quos belle adducis, longe alia fuit ratio Schalae, Lan-
dini, Pici, Nesii et Criniti, qui dare in lucem, quae poterant,
etiam debebant nulla religione impediente. Nos vero, ministri ⁵
Dei possumus quidem, sed nescio, quae saeculares adhuc lu-
simus, an salva conscientia debeamus. Itaque vereor, ne tu ⁶

mihi ad Deum fies particeps culpae huius, quem oro, tibi persuadenti et mihi ignoscat non renitenti. Extorsisti a me profecto, quod multis mei amantissimis semper antea dene-gavi. In quo tamen etiam illis puto gratificari et Danti Po-pulescho pro me tibi, ut scribis, recipienti et Petro Francisco, Laurentii filio candore ingenii et morum optimorum suavitate splendorem inclytae suae gentilitatis Mediceae referenti. Quem equidem gaudeo nostris et studiorum virorum con-gressibus delectari. Quoniam si, ut Melanthius Homericus loquitur in Ulyssem, *αἰεὶ θεὸς τὸν ὄμοιον ἐστὸν ὄμοιον ἀγεῖ,* ea inter bonos similitudo est iudicium manifestum excellen-tis ingenii et acquirendae conservandaeque virtutis. Qua nihil peregrinantibus nobis, dum vivimus, vel potius, hic dum morimur, est suavius, nihil melius, nihil amabilius, nihil ad vim inferendam caelesti regno, quod vim libentissime patitur, expeditius. Hoc ei Christianum dictum non displicere si vi-deris, hortaberis quoque meo nomine, ut ascendat bene vi-vendi recteque intelligendi laboriosum quidem, sed gloriosum curriculum. In quo si nostra aurigatione, impulsu, clamore, verbere ad metam currentis equos excitari placuerit, tunc ei libenter nostrum studium, curam, industriam, diligentiam omni loco et tempore polliceberis. Nos subinde, quod maxi-mum operae pretium visum fuerit, ei cumulate praestabimus multo libentius. Vale. Ex Genioro, III. Idus Septembbris, 1510. 15

Bartholomaeus Fontius Francisco Riccio, Mattheai filio sal. 7

Quaesisti ex me tuis humanissimis litteris, ut quaedam vocabula mensurarum, quibus Romani veteres utebantur, ad te praescriberem. Quae brevi a me collecta plura etiam, quam petieras, ad te misi, ut mea scribendi tarditas ubertate muneris compensetur. Mensura proprie ea est, quae a membris humanis sumpta est. Quanquam eius appellatione continetur, quicquid pondere, capacitate, longitudine, latitudine animoque finitur. Verum ea, quam requiris, plurium et inter se aequalium intervallorum mensura determinatur. Mensurarum autem appellations sunt digitus, uncia, palma, sexta, pes, cubitum, passus, decempeda, clima, actus, iugerum, stadium, miliare, centuria. Digitus est minima mensurarum, infra quem, si quid dimetiamur, partibus respondemus, ut dimidiā, tertiam quartamve digitī partem. Digitorum porro observatio

duplex est. Quadratus enim dicitur et rotundus. Sed cum simpliciter appellamus, rotundum accipimus, qui quidem est sextadecima pedis pars tribus quartis decimis suis quadrato minor. Nam si quadratum in quatuordecim partes dividatur, tribus ex illis partibus rotundum superat. Unica vero digitum unum et eius tertiam partem habet, si quidem unciis duodecim pes integer definitur. Palmam duplarem esse reperio, extensam scilicet et compressam. Extensa est, quantum expansa manus a pollice ad minimum se extendit, quae sane est duodecim digitorum. Compressa est, quantum digiti quantuor simul iuncti excepto pollice se expandunt. Verum palmam simpliciter nominantes de compressa intelligimus. Sexta digitos duodecim continet. Eandem enim mensuram, quam extensa palma complectitur. Pes vero est sexdecim digitorum. Ex pede autem et semis cubitum fit. Ex pedibus quinque fit passus. Quanquam spatium quoque illud, quod inter ambulandum est inter pedes, passus denominatur, dictus, quia gressibus mutuis pedes patescunt. Decempeda ex pedibus decem constat, unde etiam nomen sumpsit. Quo vocabulo in Clodium pro Milone utitur Cicero sic scribens: Qui cum architectis et decempedis villas multorum hortosque peragrabat. Sex vero decempedae clima reddunt, quod quoquo versus pedum est sexaginta. Actus dicitur, quod in eo boves agerentur, cum araretur uno impetu iusto, qui erat centum viginti pedum. Tris autem actus esse invenio: minimum, quadratum et duplicatum. Minimus quatuor pedes patescit, quod spatium in agris erat inter vicinos. Quadratus undique centum viginti pedibus praefinitur. Quadratus duplicatus iugera praestat, dictum, quod ex duobus quadratis actibus sit coniunctum. Vel, ut maiori Plinio placet, quod id spatium uno iugo boum in die arari posset. Protenditur itaque iugera in longum pedes ducentos et quadraginta, in latum vero centum viginti. Stadium passibus quinque ac vi-ginti supra centum describitur. Miliarium stadia octo, hoc est passus mille complectitur. Centuriam primi Romani veteres ex centum iugeribus effecerunt. Iuniores ex ducentis quoque iugeribus servato centuriae nomine expleverunt. Neque vero praeterire te arbitror in re militari centuriam centum militum numerum continere et centurionem appellari, qui illis praestet. Subcenturiatosque dici milites non primae, sed secundae cen-

turiae, ubi ad insidiandum maxime locabantur. Ex quo in subcenturiis, quasi in insidiis quempiam positum dictitabant. Centuriatim quoque adverbium, quod abundantiam copiamque designat, a centuriis, quae in comitiis ferebant suffragia, derivatur. Unde et centuriata sunt dicta comitia. Caeterum mensuris omnibus, quanto brevius fieri potuit, explicatis brevi quoque ponderum vocabula enarrabo, ne quid honesto studio tuo desit.

Ponderum omnium minimum siliqua est, quod granum ex ea est siliqua, quam fabam Graecam plerique nuncupant. Sex autem siliquae scrupulum faciunt a scrupo brevi per exiguoque lapillo denominatum, qui et obolus appellatur, quem hodie denarium pensum dicimus. Est vero quarta et vicesima unciae pars. Supra obolum drachmam ponimus, quae ex scrupulis tribus constat. Sextula autem ex quatuor fit scrupulis, sic dicta, quod sit unciae sexta pars. Hanc unciam vetustiores quandoque denarium appellavere. Denarius enim tunc argenteus nummus erat ponderis siliquarum quatuor et viginti, quanquam denarius proprie decem assium pondo constet. Atque haec erat apud antiquos minima aeris signati pars. Supra sextulam semunciam legimus dimidium unciae continentem. Uncia ab uno denominatur, quod ex duodecim ea uncia est pars assis. Unciae duae sextans quasi sexta pars assis. Quadrans quarta pars, hoc est tres unciae, quod etiam triuncium dicitur. Triens tertia pars assis, unciae quatuor. Quincunx unciae quinque. Semis dimidium assis, unciae sex. Septunx septem unciae. Bes unciae octo, quasi des dempto triente ex asse. Dodrans dempto quadrante novem unciae, quod et nonuncium dicimus. Dextans decem unciae dictus, quoniam assi deest sextans. Deunx undecim unciae, quasi una uncia ex asse dempta. Inde as ex duodecim unciis constans mina a Graecis, mina a nostris interpositione litterae appellatur. Hanc etiam libram dicimus, cuius diminutivum libella, a qua et deliberare, quia animo, tanquam libra res perpenditur, tractum est. Libellae dimidium est semibella, quae semis est assis. Supra assem dupondium est librae duae a duobus ponderibus. Pondus enim et pondo assis pondere dicebatur. Unde assipondium unum pondus est appellatum. Ultra dupondium est sestertius librae duae et semis, dictus quasi semis tertius, hoc est post duos sequens tertio loco semis, quia enim fiebat

ex duobus assibus et tertio semisse, veteres nuncupavere sestertium. Supra quem tressis a tribus assibus dicitur, quo³⁴ vocabulo noster usus est Persius: Hic Dama est non tressis agaso. Octussis quoque ac nonussis decussisque reperitur octo, novem decemque asses. Denarium vero ut decussem a³⁵ decem assibus veteres interdum denominarunt. A duobus deinde decussibus fit bicensis, id est viginti asses. A tribus tricensis, triginta asses. Persius etiam centusse utitur. Et³⁶ centum Graecos curto centusse licet. Supra centussem maius aeris vocabulum non invenio. Nam ducentos, trecentos³⁷ quadringentosve cum dicimus, non magis asses, quam denarios aut alios nummos significantur. Infra centussem autem³⁸ talentum est, cuius variae species cum pondere, tum materia extitere. Nam secundum diversas gentes diversi quoque ponderis inveniuntur. Verum quod celebrius est, Atticum maius et³⁹ minus talentum extat. Minus assibus sexaginta, maius tribus et octoginta assibus ac triente describitur, licet aliqui octoginta assium tantum fuisse scribant. Plinius maior talentum⁴⁰ Atticum ex Varronis sententia sedecim sestertiis taxari scribit. Sed haec satis de pondere. Materiam vero talenti va-⁴¹ riam extitisse gravissimi attestantur auctores. Nam nedum aurum, argentum, aes hoc pondere aestimari comperimus, sed quaecunque alia ponderantur. Curtius enim candidi ferri⁴² talenta centum et Herodotus aluminis mille talenta scribit. Haec habui, quae breviter de mensuris ac ponderibus ad te⁴³ scriberem. Si qua in re alia tibi usui esse possum, omne meum studium tibi paratissimum semper erit. Vale.

Bartholomaeus Fontius Antonio Puccio suo salutem. 8

Quotiens oculos mentis verto super hoc damnato schis-¹ mate, in quo veluti magno in pelago agitatur vicariae Christi navis et ei desponsa catholica apostolicaque ecclesia, totiens ingenti metu deterreor, quod nautas aliquot remigesque prospicio magistri imperio non parentes conari eam illidere saevos in scopulos tempestatis. At cum me converto ad caput primarium² sacrosanctae Romanae ecclesiae, dominum nostrum Ihesum Christum habentem sacerdotium pontificatumque sempiternum, totus equidem recreor pie ac fideliter credens secundarium quoque caput ad consummationem saeculi duraturum. Cui³ ascensurus ad patrem filius Dei unigenitus omnem potestatem

ligandi atque solvendi attribuit. Hunc tamen clavum Christianae navis et unitatem ecclesiae moderantem aequalemque Deo in terris potestatem habentem, pro dolor, hoc insano calamitosoque saeculo deseruere nonnulli viribus atque armis saecularium principum freti navigio eum detrudere cogitantes ac propterea ad futurum concilium appellantes. Unde iam qui a vero catholicoque pontifice defecerunt quique se illis temere adiunixerunt, censurae ecclesiasticae gladio iure divino atque humano districti sunt et ipsi apostatae ab unitate ecclesiae segregati qualiacunque tela in eum coniiciunt concilium clamitantes. Evidem sanctorum de more patrum celebrari concilium a vero pontifice totius ecclesiae uno et solo capite magna praelatorum et cleri frequentia licere et expedire et maxime decere non solum confiteor, sed opto etiam vehementissime ad consultandum de statu, de vita, de moribus ecclesiasticorum et saecularium principum et ad regendos moderandosque iuste populos et ad corruptos perversosque mores corrigendos, ut optata cunctis mortalibus pace omnis Christianitas perfuatur. Nam si non verba, sed opera monente domino inspexerimus, multa apud clericos, non pauciora apud laicos cernemus grave olentia ulcera et ad interitum tabida corpora, nisi medela adhibeatur, ducentia. Medicina autem, nisi prius fuerit morbi causa intellecta, ad sanitatem non exhibetur apposite. Causam vero cognoscere aegritudinis et pro loci, aeris, temporis qualitate, pro corporis habitu, complexione, victus consuetudine mederi paucorum est prudentium medicorum. In his qui sunt eminentissimi, asserunt destillantem a capite pituitam reliquum corpus inficere variosque morbos et mortem gignere. Gentes et nationes et populi unum sunt corpus totius humani generis. Capita gentium sunt ecclesiastici saecularesque principes. Hi morbis gravissimis, ambitione, libidine, avaritia, ira, odio, invidia laborantes exemplo suo genus humanum inficiunt. Siquidem, ut a nobis incipiam, si minores dignitate sacerdotes capita nostra episcopos haberemus, non quae sua sunt, sed quae Dei et ecclesiae, cogitantes suasque dioeceses annis singulis visitantes et cunctas parochias corrigentes, non obrueremur tot ac tantis ignorantiae tenebris et vitiorum gurgitibus. Si episcopi superiores cardinales inspicherent modestius viventes et, quae clericali statui conveniunt, obser-

vantes, ipsi quoque continentius viverent. Si cardinales intuerentur summum pontificem, non quae ad pompam et luxum et vanitatem, sed quae ad aeternam salutem pertinent, meditantem, non tam praecipites in vitia laberentur. Imperatores autem ac reges et caeteri saeculi principes si suis contenti finibus alienos non occuparent, si subditos inquis oneribus non urgerent, si a divina, si a naturali, si a communi hominum lege non deviarent, si iuste continenterque viverent, caeteri mortales suorum principum mores prosecuti aequo iure omnes pacifice degerent totque ac tantis vitiorum morbis non deperirent. Videre per te iam potes, Antoni carissime, quo te iuvenem nostrae urbis omnium disertissimum senex ego forsan non indisertus, ut ipse tibi magis, quam mihi videor, scribendo perduxerim ad meam sententiam audiendam. Si quidem ad haec hominum temporumque supra narrata vitia exigenda et mores optimos imbuendos et virtutes ac scientias honestandas et civiliter libereque vivendum, si concilium apostatae acclamarent, non, ut clarus luce patet, ad explenda odia, ad iniurias ulciscendas, ad maiores opes comparandas, ingentes Deo gratias agerem et ad concilium appellantes non improbarem. Sed tam honesta, tam utilis, tam necessaria synodus cum indigeat tuto loco, tempore oportuno, maturo consilio, commoditatibus multis tam saecularium, quam spiritualium principum, gratia, invidia, ira, odio, spe, metu, pessimis consultoribus reiectis ac fraterna dilectione, iustitia, pace, fide concordiaque receptis consultoribus optimis, cumque omnia longe absint, perperam de concilio agitur bello et armis undique circumstrepentibus. Quod si me forte roges, quid agendum existimem, ne serpat in tempus longius ac multas gentes populosque inficiat tanti morbi contagio, quo me filo, si Daedaleum labyrinthum ingredior, explicem, non invenio. Hoc tamen in mea insipientia libere ac simpliciter tecum loquor. Ante omnia utrique humiliter convertamur ad dominum oremusque supplicibus votis pro summo pontifice nostro Iulio et unitate ecclesiae, ut adsit propitius et benignus et in tanta peccatorum colluvie tamque obstinatis multorum animis ad nefanda flagitia avertat iustum iram suam ab hoc nostro ingrato populo libertati ecclesiasticae deroganti et insanabiles desperatosque morbos nostros solus et verus et misericors medicus sapientissimusque magister ad sanitatem

perducat. Praeterea si parvos homines licet aequare magnis,²² ego minimus omnium si is essem, qui nunc est maximus pontifex, votis rite nuncupatis ad patrem Deum lustrata urbe toto Romano clero missaque solenniter decantata ad reges ac principes ecclesiae reconciliandos intenderem cumque paucis bonis et sanctis et prudentibus viris et ad animarum salutem tendentibus consultarem de pacis honestae conditionibus. Cum quibus in domo domini ambulantibus et ea,²³ quae ad pacem Hierusalensem pertinent, consulentibus remotis adulatoribus cuncta ad gratiam, nihil ad veritatem loquentibus spem certam conciperem dominum Ihesum Christum, Deum pacis et dilectionis in medio semper eorum positum, qui essent, ut ipse dixit, in suo nomine congregati, tutum ac salutare consilium vicario suo et sponsae suae ecclesiae allaturum. Neque vero putarem Aloisium, Gallorum regem a suis²⁴ degeneraturum maioribus, qui Christianissimi nuncupati nunquam schismaticis adhaesere, sed electos veros pontifices Leonem, Zachariam, Stephanum, Calistum, Innocentium, Alexandrum, Paschalem Romanae sedi restituere. Neque etiam²⁵ crederem Christianissimum regem gratis contra ecclesiam Dei armis decernere, sed metu cogente status Italici conservandi. Quod si Christi vicarium intelligeret communem optare pacem saeculo et ecclesiae, et ipse, quae sunt Dei, restitueret Deo Bononia Ferrariaque cedentibus et cervicem et genua inclinantibus. Accepisti de re tota meum consilium. Specta²⁷ nunc, si placet, novam tragediam. Ageretur si fabula in²⁸ theatro sederentque in dextris orchestrae gradibus cardinales et pontifex, in sinistris Aloisius rex cum Gallis baronibus prodirentque in scaenam actu primo personati apostatae iacentes convicia in pontificem, secundo in actu personati theologi severe damnantes apostatas regemque fideliter admonentes, actu tertio e velario in scaenam egrederetur honesto matronae pudicissimae habitu sancta ecclesia tristi facie, passis crinibus, palmis ad aethera versis, voce acuta, modis flebilibus eiulans. O caelum, o terra, o mare, o superi!²⁹ Ego patriarcharum prophetarumque vocibus figurata mater³⁰ fidelium, ego immaculati agni despensa sanguine, ego cruore martyrum, floribus confessorum, liliis virginum decorata, ego imperatorum ac regum devotione ditata maximis premor a filiis meis angustiis. Quis me praeterea consolabitur mise-³¹

ram? Quis medebitur meo crudeli vulneri? Pro me tuenda certabant olim boni Christiani principes, pro me ornanda bella gerebant gentes et nationes. Nunc me reges armis infesti premunt, nunc me populi inquis oneribus opprimunt. Quis igitur dabit aquam capiti meo et oculis meis fontem lachrymarum? Si, inquam, talis ageretur tragoedia atque ita ³³ flebiliter lamentaretur ecclesia, nonne prodiret in scaenam actu quarto pro sponsa Dei insignis prudentia sanctitateque vitae senex totis commotis ad pietatem visceribus dicens? Quid matri vestrae respondetis, apostatae? An brevi inter- ³⁴ ituri mortales homines Deo militantem ecclesiam ad consummationem saeculi duraturam audetis superbe scindere atque Ossam Pindo more gigantum superaddentes in caelum scandere, post paulo caelesti fulmine intra caeca Luciferi Tartara, nisi vos tanti sceleris vere paeniteat, detrudendi? Sed ³⁵ et vos alios saeculares Christianos principes furorne mentis, an ira Dei ad tantam impellit insaniam, ut ferrum in matris viscera convertatis et plures annos hostiliter devastatam Italiam funditus evertatis? Ingens profecto furor, superbia et ³⁶ avaritia et crudelis immanitas clericos laicosque exagitat et iusta ira Dei contra vos terram iudicantes et iustitiam non servantes. Te vero ante alios omnis decet, o summe pontifex, ³⁷ pastor ac rector Christianorum fidelium et navis ecclesiae moderator, tot undique saevientibus fluctibus tempestati cedere ac, si, quo caepisti, cursu, quo constitueras, pervenire nequiveris, mutata velificatione eum portum ingredi, quem potueris. Tutissimus autem et honestissimus portus erit ³⁸ ampliistris armamentisque navis abiectis tempestati non te amplius credere, odia etiam iusta in adversarios ponere, oblivisci acceptarum iniuriarum, libere ignoscere paenitentibus, metum adimere omnibus, datam servare fidem cunctis potentibus. Tu quoque, Aloisi, rex Christianissime, quid optas addi tibi ulterius in tanta felicitate ac victoriis? Tua est longo maiorum stemmate tota trans Alpis Gallia. Tua quoque cis Alpis bello et armis parta est tota Gallia. Tua facta est Genua assuetaque malo tota Liguria. Tua est superbis devictis Venetis ingens gloria. Fines tibi, quocunque progrediare, ha- ⁴⁰ bendi sunt. Hi quanto latius extendentur quantoque tuum imperium fuerit auctius, tanto tibi plures infestiores hostes paraveris et maioribus curis solicitudinibusque urgeberis,

fortuna quidem ipsa virtute tua et magnitudine animi tibi multum propitia, quia instabilis et levis est, multum tibi quoque timenda est. Quare iam debes victricia tua lilia non 42 Marti Bellonaeque, sed Christo ac matri beatissimae virginis sacra suspendere. Qui sicut pro salute humani generis ligno 43 crucis affixus pacem suam reliquit omnibus gentibus, sic tu divino exemplo admonitus pacem tuam relinque ecclesiae atque Italiae. Ad haec sathan excitus ab inferis quinto ex- 44 plendo actui ignitis oculis, vultu torvo, ore ignivomo, intortis collo sibilantibus viperis, Quid, inquit, delire senex, addictos 45 mihi deterres apostatas? Quid mihi pergratos lacessis principes? Quid ita pusillanimiter hortaris admonesque pontificem? Quid bello tentas turpiter avertere regem Galliae? Quid tu quoque semper adversa mihi lamentaris ecclesia? An regnum frustra meum conaris scindere? Fortius est ac vali- 46 dius cunctis humanis viribus. Mea sunt vivis innavigabilia Stygia. Mea inaccessibilia sunt Averna. Mea sunt horribilia Tartara. Mihi militant plurimi vita functi, bello invicti duces et imperatores et reges cum ferocissimorum equitum turmis innumeris peditumque robustissimorum cohortibus. Quanto 47 autem quisque vestrum, o principes, o rex, o pontifex, in pugnam atque in mortem ibit ferocior, tanto mihi occumbens pugnando carior et in regno meo erit sublimior. Quare, agite, 48 intrepidi ferro decernite, signa signis, arma armis, pectora pectoribus conferte. Spectator ipse fortitudinis vestrae rex in- 49 ferorum sathan adero et quenque vestrum pro meritis honoro. Peracta est fabula, Antoni. Vale. Florentiae, Idibus Decembribus, MDXI.

Bartholomaeus Fontius Thomae Soderino, Ianvictorii filio. 9

Laetor, mi Thoma, te consulere valitudini corporis vi- 1 vereque honesto in otio nunc venando, nunc legendo aliquid vel scribendo. Quod ita esse perspexi cum ex iocundissimis lit- 2 teris, tum ex capreolo ac lepore ad me missis. Quos euidem isthic tecum cepisse mallem et cenitasse non sine multis sua- 3 vissimis optatissimisque colloquiis. Verum ingentia frigora et altae nives meum tibi promissum adventum distulerunt in anni tempus mitius ac benignius. Quare vere prope iam appetente vel 4 in isto Signanio vel in nostro Mensulano agro vacui solicitudi- 5 nibus et molestiis conferendo, disceptando, legendo et discen-

tis fungemur munere et docentis. Interea nostri memor intende firmitati corporis et animi atque vitae integritati Phoebo ac dulcisonis Musis, ut decet, quotidie salutatis. Vale. Florentiae, VIII. Cal. Februarias, MDXI.

Bartholomaeus Fontius

Laurentio Puccio, Iulii secundi pont. max. datario. 10

Sixtus quartus pontifex maximus Petrophilippo Pandolphino, viro clarissimo patronatum concessit plebis sancti Iohannis Baptistae de monte Murlo Pistoriensis dioecesis. A quo ego vigesimo ab hoc vertente anno in plebanum electus et canonice a Pistoriensi episcopo confirmatus exopto mortalitatis memor beneficiique accepti non immemor resignare praedictam plebem Petrophilippi nepoti, Iohanni Pandolphino, Francisci filio reservato mihi regimine et proventibus aureos nummos quadraginta non excedentibus, ut ea per me redeat ad patronum legitimum nullaque specialis expectativa me defuncto preeveniat. Est autem Franciscus, Petrophilippi filius excellentis ingenii atque animi dotibus insignitus et optimis ac suavissimis moribus praeditus et eleganti eruditione nostro studio et diligentiae perpolitus et magnarum variarumque rerum experientia et consilio civium nostrorum omnium nulli secundus. Quare decens et aequum est concedere hoc muneris eius filio egregiae indolis puero sponte ad sacerdotium animato, tametsi annum degit aetatis circiter decimalum. Quod si propter aetatem adeo teneram reverendae dominationis tuae modestia putabit operae pretium, ut Franciscus Victorius, Florentinorum legatus vel privato vel publico nomine id supplicet a beatissimo papa Iulio, supplicabit amanter et diligenter. Nos vero non dubitamus gratiosissimum beneficentissimumque pontificem, quod suppliciter petimus, concessurum et pro felici memoria beatissimi Sixti patrui et pro perpetua in eum observantia Petrophilippi et pro magna expectatione ac gratia Francisci filii tota mente animoque affecti erga Romanam ecclesiam et pontificem. Quibus addo etiam memet ipsum in dubiis ac periculis temporibus et voce et scriptis acerrimum defensorem pontificiae magnitudinis et ecclesiasticae potestatis. Caeterum dominatio tua reverendissima hoc sacerdotio expedito non me tantum (semper enim

Pucciae gentilitati addictus fui), sed etiam Franciscum Pandolphinum tibi ac tuis in omnem eventum devinxeris. Vale. Florentiae, IIII. Cal. Febr., 1512.

Bartholomaeus Fontius Bernardo Oricellario S. 11

Dantes Populeschus tuo nomine ad me pertulit sermo-¹ nem cum Pontano Neapoli habitum, quem maxime sequereris auctorem in historia Gallica describenda. Cui ego eruditis-² simo viro, quem loquentem inducis, non invenio, quid possim demere aut addere. Quid enim (ut Lucretii verbis utar) contendat hirundo Cygnis, aut quidnam tremulis facere artibus haedi Consimile in cursu possint ac fortis equi vis? Quoniam tamen³ neque volo, neque debo negare quicquam Danti perhumani-⁴ ter ita pro te petenti, paucis referam, non quid alii de scribendo imitandove senserint, sed quid ego adolescens a magistro perceperim. Cum audirem Bernardum Nuthium Ciceronis rhetoricos libros interpretantem cum Horatianis epistolis adverteremque eum dicendo ac scribendo non excellere, caepi mecum cogitare, frustrane me caeterosque condiscipulos hortaretur veteres imitari auctores et rhetoricam artem mandare memoriae, quando ipse, qui omnem aetatem in praceptoribus huiusmodi et imitatione consumpserset, parum ex arte loqueretur et scriberet aliorumque dicta nimis aperte suis insereret. Itaque in his carminibus explicandis (O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus. Libera per vacuum posui vestigia princeps, Non aliena meo pressi pede, qui sibi fidit, Dux regit examen) cum ostendisset imitatem ad alienum praescriptum, ut servum, vivere, statim dimisso ludo cum in pomarium venissemus, ubi fere quotidie vel solus deambulare vel me uno tantum comite consueverat, Dasne mihi, inquam,⁶ praceptor humanissime, veniam, ut solito liberius tecum loquar? Age, inquit, ex animo dic, quod sentis. Tunc ego: Te monente atque hortante rhetoricis incumbo praceptionibus et eos auctores imitor, quorum te esse aemulum ostendisti. Verum enimvero memoriter multa artis pracepta continens⁸ multosque selectos meliorum scriptorum locos, cum aliquid elegantius dicere aut scribere mediter intentus dicendo aut scribendo, praceptorum omnium obliviscor. Quorum si tunc⁹ reminisci voluero, illa etiam, quae natura duce ultro se offere-

bant, simul dilabuntur et effluunt. Quod autem in me discente ¹⁰ experior, in te quoque docente animadverto. Qui demonstrandae imitationis et artis omnium, quos adhuc audierim, scientissimus parum (ni forte fallor) ex arte loqueris et imitari veteres in scribendo cum niteris, Celso illi videris persimilis, quem damnasti hos versus Horatianos interpretans: Quid ¹¹ mihi Celsus agit monitus multumque monendus, Privatas ut quaerat opes et tangere vitet Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo. Ne, si forte suas repetitum venerit olim Grex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. Quibus carminibus congruenti fabella cornicis admo- ¹² vemur aliena scripta nobis non vendicare, ne, si unusquisque sua repeatat, nihil venustatis et ornamenti remaneat. Tunc ¹³ ille arridens ait: Delector equidem tuo ferventi ingenio, cui adhaerebit, ut video, facilius eloquentia legendo et audiendo atque scribendo, quam praecepta rhetorica consectando. Nam ¹⁴ etsi artificium imitatione non obest, non multum tamen ei confert, cui vis illa desit praestantis ingenii. Qua me dote ¹⁵ carere cum adolescens adverterem, studio, cura, labore, diligentia mirabiliter contendi artificio et imitatione naturae incommodum elevare. Itaque vere sentio esse neminem, qui ¹⁶ simul possit bene dicere aut scribere atque, hoc cum facit, dicendi vel scribendi vel imitandi praecepta cogitare. Saepe ¹⁷ enim intentus utrumque facere sensi effugere, quae volebam ostendere. Ars vero ipsa cum sit notandis eloquentium dictis ¹⁸ scriptisque adinventa, non facit ipsa eloquentes, sed contra fit ab hominibus eloquentibus. Quas artis praeceptiones sive ¹⁹ antea didicissent, sive potius nunquam attigissent, ne cogitant quidem, cum loquerentur. Sicut igitur infantes non fiunt ²⁰ artificio ullo fantes, sed eloquentium audiendis locutionibus, sic adolescentes nulla eloquendi arte percepta, sed eloquentibus audiendis atque legendis eloquentiam assequuntur. Hic ²¹ ego: Rem igitur perquam gratissimam feceris, quibus itineribus quibusve optimis recolendis auctoribus ad eam pervenire valeam, si ostenderis. Ad haec ille: Nulla est via brevior ²² ac facilior, quam virtutis amore ut ardeas et honesto desiderio gloriae, quam eloquentes magnam, dum vivunt, maximam post obitum consequuntur. Hoc si cordi tenaciter inhaerebit, ²³ per te ipsum scriptores omnis ad eloquentiam perducentis attentissime relegens tuopteque ingenio cuncta inveniens et

disponens nihil erit (mihi crede) tam arduum, tam laboriosum, tam asperum, quod tibi non planum ac lene fiat et pericundum in arcem eloquentiae ascendi. Quo cum perveneris,²⁴ in altum sublatus aethera caeteris brevi perituris rebus despectis omnibus te ipsum in primis, deinde creata omnia, postremo factorem omnium divinae mentis oculo contemplaberis. Quae bene perspecta singula et, quoad eius fieri poterit,²⁵ intellecta significare aliis cum volueris, frequenter ac multum cogitabis, quid deceat. Non enim semper eodem modo et ordine neque iisdem sententiis aut verbis utendum est. Nam locorum, temporum, personarum et cuiusque fortunae auctoritas honoris gradusque ratio est habenda. Quae omnia qui servaverit ac res magnas copiose, parvas acute, mediocres temperate narraverit, in primo illo ampio et ornato dicendi genere, cui omnia orationis ornamenta convenient, collocabitur. In tenui sermo purus erit, planus, dilucidus et acutus²⁸ et crebris sententiis expolitus. In mediocri aliquid erit suavius et validius ac robustius. Quisquis in horum aliquo trium praestiterit, disertus tantum habebitur. Qui vero excelleat in omnibus et de quacunque re dixerit, ut decebit, nec gravia minute, nec mediocria iejune, nec tenuia languide, rebus orationem semper aequalem adhibens merito vocabitur eloquens. Elucebunt autem in eius dictis, ut stellae in caelo, multa³⁰ insignia lumina, quando utetur vel similiter inchoantibus verbis vel desinentibus, quando vel commutabit verba vel iterabit, quando sursum versus revertetur gradatim, quando sine coniunctionibus dissolvetur, quando casus eiusdem nominis commutabit, quando etiam semet ipsum correxerit, quando, cur aliquid praetereat, demonstrarit. Sed enim haec et³¹ plura alia verborum et sententiarum in signa ultro se offerent scribendo, audiendo, legendo exercitatis. Nam sicut in litteris oculus, quid sequatur, ita prospicit animus in incisis, in membris, in circuitibus. Quae structura verborum sicut iocundam³² numerosamque reddit orationem, sic verbis hiantibus et dissonanter compositis purgatae aures, vel potius audientium animi nuntiis auribus offenduntur. Voces etenim sentiunt sensiendoque eas dimetiuntur et breviores longioresque iudicant, delectantur moderatis, laeduntur immodicis. Attamen ut oratio debet astringi numeris, ita etiam debet carere versibus poematis evitata similitudine. Fit autem ex verbis propriis,³⁴

translati, novis, priscis facilitatem decoremque afferentibus composito lucida, suavis concinnitas, numerosa canoritas. De eloquendo nimis pauca pro rei magnitudine accepisti. De imitatione pauciora cognosce. Adiuvabitur quam maxime doctum imitatorem non oratoria solum, sed etiam historica et poetica frequens accurataque lectio cum variarum magnarumque rerum cognitione, tum perpolita et nitida et eleganti locutione. Sed primum omnium quisque metiri debet ingenii sui vires ³⁶ et ad quid facilius commodiusque praestandum natura ducitur. Hic nanque historiae describendae, ille poemati decantando, alias perorando natus est aptior. Ad quod ergo natura trahi- ³⁷ tur, studiose incumbat ac, quod opus aggressus fuerit, inveniendo, disponendo ad amussim perficiat. Suscipere magni est animi, invenire summi ingenii, ornare decentis eloquii, perficere elimati iudicii. Poeta natura, historicus arte, orator ³⁸ utrisque perficitur! Exercitatio communis est omnibus. Tanta vero inter hos est in eloquendo similitudo, ut aequa in verbis, in sententiis, in figuris, in ornamentis convenient. Delectare proprium est poetae, docere historici, movere ac vi ³⁹ trahere oratoris, prodesse quidem omnibus est commune. Populorum quoque illustrium maximorumque principum gesta et praeterita omnia nosse tempora, quanquam convenit omnibus, tamen maxime proprium est historici. Cuius insuper est ⁴⁰ munus regiones et loca et pugnas ornate describere, adhortationes contionesque interserere, causas, consilia, acta, dicta, eventa vere fideliterque narrare, non gratia, non odio, non spe, non metu laudare quenquam vel carpere, nusquam a vero discedere, nihil oculere, nihil mentiri ac fingere. Caeterum ⁴¹ in poetis maxime imitandus Vergilius, in oratoribus Tullius, in historicis Livius. Si quidem tres hi complexi pro rerum ⁴² ac personarum varietate illa tria dicendi genera decorumque in cunctis servantes ut omnium eminentissimi, ita etiam sunt imitatione dignissimi. Proximi qui sunt his, accurate legendi et in eorum virtutibus imitandi. Sed quoniam ingenii ⁴³ est exigui et inertis aliorum inventis acquiescere nihilque maius et splendidius addere, nec eniti superare, quem aemuletur, atque ad palmam currenti, quoniam turpe est, non pertransire vel saltem adaequare celeriorem, satius ac tutius et laudabilius esse puto ingenioso scriptori sibi ipsi fidere et vestigiis alterius non insistere. De dicendo et imitando habes, Bernande ⁴⁴

optime et animo meo carissime, Nuthianum iudicium. Quod probabis, si placuerit. Aut in Pontanico permanebis, si contra ⁴⁵ senseris. Utrunque sit, esse putabo verius, quod tu censueris, quando te antiquis excellentibusque scriptoribus non minorum, novis longe sublimiorem quam rectissime iudico. Vale ⁴⁶ feliciter, nec diutius patere eloquentiam, qua nostra civitas per multa saecula floruit, consernoscere. Cui nisi languenti ⁴⁷ medeatur celeriter, ad interitum cito verget. Hoc qui te melius efficere possit, non video auctoritate et consilio praestantissimi medici. Florentiae, Cal. Martiis, 1512. ⁴⁸

Bartholomaeus Fontius Petrofrancisco Medici S. 12

Paulus Ghiaccetus praestantissimus civis et vobis Medi-¹ cibus coniunctissimus nunc si viveret, eius filius Robertus, Ghiacceti plebanus commendatione mea non indigeret, nam plurimum per se posset mutua necessitudine, benivolentia, gratia a proavo Paulo (cuius ego descripsi vitam) cum Cosmo et Laurentio Medicibus fratribus inchoata. Verum enim vero ² tali parente orbatum commando tibi, ut per te pateat ei aditus ad beatissimum Leonem Medicem summis votis totius Christianitatis divina gratia electum in optimum maximumque pontificem. Cui Robertus placere et obsequi et humiliter inservire ³ vehementer optat. Quem tibi etiam atque etiam summopere commendo. Vale feliciter nostri memor. Florentiae, Idibus ⁴ Martiis, 1512.

Bartholomaeus Fontius Iacopo Salviato S. 13

Pauli Ghiaccetti, viri optimi tuique amantissimi ac Me-¹ dicibus coniunctissimi Robertus filius optat per te adscribi in familiariem beatissimi Leonis decimi humanis votis divinitus electi in pontificem maximum. Quare per meum in te amo-² rem, quem tuis egregiis animi, corporis fortunaeque dotibus iam pridem tibi totum arripuisti, maximopere tibi eum commendo, ipse quidem Ghiacceti plebanus est genere, forma, ingenio, moribus non spernendus. Cuius Paulus pater si vive-³ ret, nihil tam magnum peteret, quod non consequeretur ab indulgentissimo felicissimoque pontifice. Satis autem in praesens Roberto est eius beatitudini humiliter ac fideliter inseruire. Vale feliciter. Flor., Idibus Martiis.

SCRIPTURA.

Quia omnes variantes lectiones, quae ad scripturam attinent, non annotavimus in Annotationibus Criticis, ideo utilissimum esse videbatur hanc copiam accuratissime studentibus praeberi, ubi in clausulis () scripsimus, quae lectio-nes nonnunquam vel raro nunquam in manuscriptis (et in editionibus) proveniunt. Astericum (*) posuimus, ubi ex ea radice derivata oriuntur (ut exempli gratia: aes, aerarium; caelum, caelestis).

Vocales: *ae* (e): aemulor, aes*, aeternus, caelatura, caelum*, caepi, caeteri, haec, haereo, praे, *prae-*, quaer, saeculum, saepe, scaena, trophyum; (*terr*)ae; Bartholomaeus, Caelius, Caeres (Caeretis), Idaeus, Laestrygones, Matthaeus, Musaeus, Ptolemaeus. — *ae* (e, oe): maenor*, paenitet*. — *e* (ae): cena*, e-do, felix*, femina, fenerator, fies (fiet); Clemens*. — *e* (i): beneficium (benificium); Vergilius. — *i* (y): Sirenes, Sixtus, Tiberis. — *oe* (ae): foedus, moenia, tragoedia; Phoebus. — *oe* (o): dioecesis — *u* (y): Sulla. — *y* (i): apocryphus, lachryma*, martyrium*; Bithyna, Laestrygones, Lyra, Phocylides, Pythagoras. — — **Consonantes:** *c* (ch): carus*, spelunca; Academicus (Achademicus). — *c* (d): quicquid. — *c* (t): gentilicus, solacium, species*, suspicio (suspicionis), uncia; Fabricius. — *ch* (c): lachryma*, pulcher*, sepulchrum, stomachus; Chalcondylas, Charybdis, Christus*. — *ch* (g): drachma. — *ct* (t): abiectus, functus*, extinctus. — *ct* (th): auctor*. — *ct* (tt): octo*. — *g* (c): vigesimus. — *h* (—): exhibeo, horribilis, hortor*, inchoo; Hadrianus, Iohannes. — *h* (ch): mihi, nihil. — *n* (—): coniunx (coniux), quotiens, totiens. — *n* (m): forsitan. — *rh* (r): rhetorica. — *s* (x): affulsit, sestertius; Esquiliae. — *sc* (sch): munusculum, obeliscus, obliviscor, oscular, vescor; Franciscus. — *sch* (sc): schisma*, Paschalis. Populeschus, Schala. — *t* (c): contio, otium*, spatium. — *t* (ct): adiutor, aeternus*, autem; Vitruvius. — *t* (th): rhetorica; Dantes, Teutoni (Theutoni, Theuthoni). — *t* (z): artium, initium, nuntius; Antius, Florentia. — *th* (ct): Mathias. — *th* (t): Bartholomaeus. — *th* (tth): Mathias. — *tt* (ct): litterae*, mitto; Atticus. — *tth* (th): Matthaeus. — *x* (s): anxius, mixtio*, vinxit*. — — **Reliquimus:** *h*: onus* (onus); Estensis (Hestensis), Ostiensis (Hostiensis). — *x*: sedecim (sexdecim). — **Pro consonante scripsimus duas:** *mm* (m): consummatio, flammo*, nummus. — *pp* (p): appello, supplex. — *ss* (s): centussis. — *tt* (t): attribuo. — **Pro duabus scripsimus consonantem:** *l* (ll): sibilo; Phocylides, Poloni. — *n* (nn): Januarius. — *p* (pp): Apulia. — *r* (rr): exteri. — *s* (ss): comprehensus (comprehessus); Musa. — *t* (tt): finitimus, legitimus, litus, quatuor. — — **Omisimus assimilationem:** *b* (p): obtineo. — *m* (n): circumdo, circumfero, columna, contemno, damno*, omnino, tam diu (tandiu).

— *n* (m): in me (imme), in pace, in partem, in pomerium, in posterum, in praesentiarum, in primis, in proposito. — *Assimilationem adhibui-mus*: 1 (n): colludo. — *m* (n): immaturus, immisceo. — *n* (m): hunc, -nque (nanque, nunquam, quanquam, quenquam, [qui]cunque, tanquam, unquam, utranque, utrunque. — *p* (b): opprobrium, suppallidus, supputet. — *r* (n): irregularitas. — — *Varia*: cohortor (choortor), discessio (discensio), Flaminia (Flagminia), obscurus (oscurus), praeclarus (pleclarus), -prehendo (-prhendo), sumpsi* (sunsi), sumptus* (suntus), -traho (trhao).

ANNOTATIONES CRITICAE.

Codices eo ordine, ut quisque maioris momenti est, ordinantur
corr(ectum) — incert(um lectu) — in ras(ura) — n(ota) m(arginalis)
— om(itit) — suprascr(iptum) — t(itulus)

Titulus. — Bartholomaeus—III.] *om. B*, Pistolae Fontii cum oratione Demosthenis de maia legatione contra Aeschinem. Bartholomaei Fontii epistolarum familiarium liber *F*

Dedicatio. — *F* — Dedicatio (titulus) *om. F*

I.—Liber I.] *om. BF* — 1. *BF* — perspexisse] praespexisse *F* — vixerit] vixisset (*corr. ex* vixerit) *F* — 3. Illud] Ilud *F* — 6. Acciaiolus] Accaiolus *B*, Aciarolus (*corr. ex* Aciayolus) *F* — 8. Guicciardinus] Guiccardinus *B*, Guiciardinus *F* — Ridolphus] Rudolphus *B* — 15. quod *om. F* — multi ferunt] multos ferre *F* — 20. tempore utriquel] utrique tempore *B* — 23. pergas] perquas *F* — et a me *om. F* — 2. *BF* — 8. hosque] hos *F* — 3. *BF* — 1. qua] quae *F* — 4. Argiropilum, *n. m.* Argyropilus *F* — 4. *BF* — 5. *BF* — *t. S.*] *Suo. F* — 6. veneris] venereris *F* — 6. *BF* — 7. *BF* — 3. Musae] siquidem Musae *F* — 8. *BF* — 1. animi] animo *F* — 9. *B, N* (*ab initio usque ad* 3. facias), *F* — *t. Acciaiolo*] Acciarolo *N*, Aciarolo *F* — in hunc—totam] hunc in unum totam *N*, hunc in unum *F* — 10. *BF* — 1. perfectum] perfectum *F* — 4. Caereti] Ceretio *F* — effingo] et fingo *F* — 11. *BF* — liberalitate] *in ras. B*, libertate *F* — 3. Nihil—discessio] ob Petri Cennini discessionem *F* — 4. Ridolphum] Rudolphum *B*, Rodolphum *F* — regem *om. B* — 5. amicum] te amicum *F* — 6. ullum] illum *F* — divitiis] diutiis *F* — 12. *BFha* — 2. putem] puto *h* — prospecta] perspecta *ha* — perspicio] perspicis *h* — cum quod] cumque *ha* — tum

quod] tumque *ha* — cum quod—disciplinis] tota vexata Italia dissensionibus intestinis *F* — 13. *BFa* — , suavissimos] suavissimosque *a* — artis *a* — Varadinensis] Varadinensis *a* — invigila] in vigilia *F* — , omnis] omnes *a* — tua] tuo *a* — 14. *BFh* — 15. *BFa* — , habebo] habeo *F* — 16. *BF* — , cum quod] cumque *F* — , perendie *om.* *F* — , cum] con *F* — , Romanae] totius *F* — 11 Severus] Severius *F* — T.] M. *BF* — 20 Antoniniana] Antonianae *BF* — Antoninum] Antonium *BF* — 17. *MBF* — t. Bartholomaeus] Barptolomaeus *M* — suo *om.* *BF* — salutem] S. *BF* — , Bithynae] Bithinie *F* — graviterque *om.* *BF* — , nunc *om.* *BF* — amici—munere] quemadmodum amici optimi munus erat *BF* — , atque] ac *BF* — oratio] amicorum oratio *BF* — , per litteras quoque] quoque per litteras *BF* — nihil quoque dolere *om.* *BF* — assentior] assentio *BF* — ritu ferarum viventes *om.* *BF* — affectibus] humanis affectibus *BF* — , diligentissime] diligenter *BF* — studiosius augeret] studiose adaugeret *BF* — omnis] omnes *BF* — deponeret] reponeret *BF* — vehementer] vehementius *BF* — , brutorum—hominis] immanium potius barbarorum, quam piorum hominum *BF* — mulierum] mulierum est *BF* — , in *om.* *BF* — , quemadmodum—conspicimus] ut caelum ac pelagus nunc est turbidum, nunc serenum *BF* — quoque nos] nos quoque *BF* — eodem] uno *BF* — 12 Hanc] Harum *BF* — urnam] urna *B* — tecum ipse] ipse tecum *BF* — iam—adventasse] adhibende medelae tuo huic vulneri iam tempus ultimum advenisse *BF* — 13 suadet—sunt] admonet cogitare *BF* — munere] munerae *B* — enavigandam—undam] enavigandum flumen Cocyton *BF* — 14 Verum] Quare *BF* — illi *om.* *BF* — quandoconque] quandoquidem *M* — 15 et humanae] humanaeque *F* — 16 Nam si] Nam etiamsi *BF* — est] esset *BF* — ipsam] tamen ipsam *BF* — aut, si] at si, quod credimus et speramus *BF* — totus *om.* *BF* — vanis] variis *F* — transigimus] certe transigimus *BF* — 17 exagitamur] exagitamur, dum vivimus *BF* — 18 Pugnae—despicimus *om.* *BF* — tantum] tant-, *in epistolae margine nonnullae litterae decisae sunt:* *M* — 19 Caeterum si] Itaque si non modo *BF* — vita—reposcitur] cum reposcitur vita *B*, cum vita reposcitur *F* — debet] debet, nam velis, nolis, reddenda est, si carissimorum interitum moderate debemus ferre *BF* — corporis]

corporeis *BF* — quietem] requiem *BF* — commigravit] demigrarit *BF* — ²¹ angit domesticus dolor tuus] domesticus dolor angit *BF* — dulcis] et fida et dulcis *BF* — negotiis] commodis *BF* — ²² delegisti] deligebas *B*, diligebas *F* — teque] ac te quoque *BF* — mori quotidie semper] quotidie mori *BF* — exploratum sit] sit exploratum *BF* — in diem crastinam] ad vesperam *BF* — ²³ istis *om.* *BF* — ²⁴ Age ergo] Quare age *BF* — aliquando *om.* *BF* — implicari] implicatum *BF* — ²⁵ ac—ac] tam doctum virum, tanta rerum copia et *BF* — ²⁶ insani] non sani *BF* — et squalore *om.* *BF* — et decet] ac decet *F* — tempus ultimum] longitudinem temporis *BF* —

Quod] Quanquam *BF* — rursus *om.* *BF* — tuo *om.* *BF* — ²⁸ cum quis] qui *BF* — et—genere] cum non forma, non viribus, non genere, non opibus *BF* — maerore tristitiaque vexari] tristitia agitari *B*, tristitia (*corr. ex* tristitia) agitari *F* — ²⁹ nihil luctu nostro] luctu nostro nihil *BF* — in morte *om.* *BF* — ³⁰ discipulis—maerent] liberis, cognatis, amicis tuis, qui una tecum tantum tuo dolore maerent, praesta cunctis Latini nominis, qui doctrina et magisterio tuo egent *BF* — ³¹ solicitis] solicitis nobisque in primis *BF* — et doctrina tua] tuis *BF* — rationi obtemperans ab *om.* *BF* — desistens] depositis *BF* — vivendi] vitae *BF* — ³² Flor.—1472.] Florentiae, VIII. Cal. Augusti, MCCCCLXXII. *BF* — *A tergo:* Litteratissimo viro domino Baptistae Guarino tanquam patri charissimo, Ferrarie *M* — 18. *BF* — ⁴ expectandum] expectendum *F* — ⁶ adolescentiam]adoloscentiam *F* — ¹¹ Verum—statui] statuique *F* — ¹² praeter] ad *F* — Estensem] Hestensem me *F* — ad—cernebam] contuli *F* — ¹³ principes *om.* *F* — ¹⁶ repetitum] repentinum *F* — ¹⁷ diutino] diuturno (*corr. ex* diutino) *F* — ¹⁸ His—uterer *om.* *F* — ¹⁹ ad hunc] adunc *F* — enarrabo] narrabo *B* — ²⁰ Acciaiolo] Aciarolo (*corr. ex* Acciaiolo; *n. m.* Acciarolo, *corr. ex* Acciaiolo) *F* — Lucensibus] Licinianensibus *B*, Lucianensisbus *F* — ²¹ sum saepe questus] cum sepe dicerem *F* — tam] multum *F* — affirmavi, itaque *om.* *F* — ²³ divitiarum] diutiarum *F* — vitandum] vitandam *F* — emonendo] admonendo *F* — ³¹ animum bene] bene animum *B* — te] te | te *F* — ³² sit opus] opus sit *F* — ³⁵ et tunc] tunc *F* — 19. *BF* — ¹ inferae] inferraे *BF* — ³ alienum] alienum *F* — ¹⁰ animam] anima *F*

— 11 Proabantur] Probatur *F* — 17 a] ab *B* — 21 aequē] aetque
F — 22 coercentur] coercetur *F* — 25 etiam] esse *F* — 20. *BF*
> — 21. *BF* — 4 nam] nan *F* — 5 Medices *om.* *B* — 22. *BFm*
> — quod] quo *Fm* — 3 fecit] facit *m* — 4 fuerunt] fuerint *Fm*
> — 8 commessonibus] commissionibus *m* — 9 esse] etiam
Fm — 23. *BFm* — 24. *BFm* — 4 omnis] homines *m* — 5 teneres]
>teneris *m* — detexeris] detexteris *F* — 10 omnia *om.* *m.* —
>13 congerere] congenere *F* — 16 tute] te *m* — 17 pedi] pendi
Fm — 10 quas] qua *m* — 20 conserere] conferre *m*

II. — Liber II.] *om.* *B* — 1. *BF* — 4 fecerimus] faceri-
mus *F* — 2. *BF* — 1. Chalcondylo salutem *om.* *B* — 1. me] mea
F — 8 obsecutum] absecutum *F* — 4 ad legendum publi-
ce] professor publicus *F* — 3. *BF* — 1. S.] S. D. *F* — 5 Chál-
condylo *om.* *B* — 4. *BF* — 1 pontificiae] pontificae *F* — mi-
nime—disiungeretur] contemplationi rerum coniungeretur *F*
> — 4 mihi *om.* *B* — 6 pater *om.* *F* — deterrimis] diterrimis *F*
> — 8 consuetudinem non habuisse] consuetudine caruisse *F*
> — 10 plurium] plurimum *F* — 11 Circen] Ciren *F* — 14 hanc]
han *F* — navim] navi *F* — 15 tam] tant *F* — 5. *BF* — 8 sag-
citer] segaciter *F* — 21 petere] potore (*corr. ex* potere; *n. m.:*
vel petere] *F* — 24 libenter] libere *F* — quoquel quoque etiam
F — qua] quam *F* — 25 te pro mea] pro mea te *F* — 6. *BF* —
1 Quibus] Quibus mihi *F* — eaedem] eodem (*incert.*) *B* — ad
te] tibi *F* — 5 sinus] simus *F* — 6 putas] putans *F* — 14 nunc]
nun *F* — 7. *BFj* — 1 Petiisti] Petisti *j* — 3 aequare] desi-
gnare *j* — fideque] fidemque *j* — careret] caveret *j* — 4 eruen-
tes] erudentes *j* — undique *om.* *j* — 6 quoquel quae *j* — eis-
dem] eiusdem *j* — tanquam] tanque *j* — Eo] Et *j* — ordiar]
ordinar *j* — Capilli] Capelli *j* — erant] erat *F* — Serico]
ferito *j* — 9 nivei] nives *j* — 10 internodiis] inte modiis *F* —
11 et stomachus] ac stomachus *j* — se *om.* *j* — candidabant]
conducebant *j* — 12 coxarum quoque] coxarumque *j* — 15 Innoc-
entii] Innocentis *j* — 8. *BF* — 9. *BF* — 4 Clusentinio] Clu-
sentino *F* — 10. *BF* — 1. senatui] senatu *F* — 2 aequitate]
&quitate *F* — 4 non minus] nominus *F* — 11. *W, B* (—, Per-
gami aut), *Frma* — 1. Pannonio *om.* *Wr* — S.] S. etc. *r.* —
1 quacunque] cocunque *F*, quocunque *m* — 2 longe *om.* *BFm*
— adiunxeris] adiunxeras *Wra* — artium] omnium artium

*Fm — s. Ugolettus] Ugolettus m — vir disertus et eruditus om. BFm — ista] tua ista *BFma* — 4 tui *om. BFm* — veterum] antiquorum *BFm* — 5 artis] arteis *r*, artes *a* — , quintus pontifex] pontifex quintus *Wra* — 8 imperarunt] imperaverunt *BFm* — liberalibus] liberalissimis *Fm* — maxima] ingenti *Fm* — 9 amabilius] amabilib. *r*, amabilibus *a* — mansuetissimus] mansuetissimus *a* — omni] tota *Fm* — regia tua] regia *a* — urbis, gentibus] gentibus, urbibus *Fm* — 10 non in postremis *om. Fm* — tui] tua *a* — tuo *om. a* — 11 quod nunc] nunc quod *Fm* — Tadeum—quem] hoc tenue de locis Persianis opusculum ad te misi, quod *Fm* — subsequentur—et] maiora nostra volumina subsequentur (subsequenter *F*) ac (atque *m*) *Fm* — 12 Interim—repone *om. Fm* — 13 Vale—1488. *om. Wr*, Florentiae, XVI. Cal. Ianuarii 1471. *a* — 12. *Fm, h* (1—4) — 1 ardore] ordine *h* — omnis *h* — 2 potentatibus] protestatibus *h* — 4 etiam *om. mh.* — 13. *F* — 14. *Fig* — 1 quid] quidem *ig* — missus erat] mittebatur *ig* — amabam] amarem *ig*, amorem *i* — turpe mihi] mihi turpe *ig* — In quo] Ex quo vero tua benignitate, quod maxime optabam, sum consecutus et tibi pro tali munere ago gratias et illi vehementer gratulor, quod tantum opus ab omni Christianitate celebrandum ediderit, in quo equidem *ig* — complexionem] inventionem *ig* — 3 Heptaplo] Heptalo *g* — tumorem] timorem *ig* — 4 vero] vere *g* — suavissimo] suavissimo et optatissimo *ig* — donum mittere] munus reddere *ig* — 5 Budae] Budae nuper *ig* — habitam] habitam ad Mathiam Corvinum regem iam primum omnium *ig* — nostro] tuo *ig* — omni] eo *F* — 6 Vale] Vale et me, ut facis, mutuo dilige *ig* — VIII—MCCCCLXXXIX. *om. e*, (1490.) *g* — 15. *F* — *t. Galliarum*] Gallarum *F* — 16. *B* (2 res—usque ad finem), *F* — 5 vero *om. F* — Non nisi vero] Te vero non nisi *F* — earundem] arundem *F* — et laudis] laudisque *F* — te *om. F* — 17. *BF* — 14 quot] quos *B* — 18. *BFm* — *t. S.*] salutem *B* — 3 et] ac *Fm* — 19. *F* — 20. *F* — 1 P. f.] G. f. *F* — 21. *F* — molestiis] molestis *F* — 8 Sericos] Sericeos *F**

III. — 1. *F* — 4 moriens] morieris *F* — 14 delenires] delinires *F* — 2. *F* — Nepotem] Celerem *F* — 3. *F* — 4. *F* — 1 Augustini] Agustini *F* — 5. *F* — 6. *F* — 4 Ficinoque] Fecinoque *F* — religione] religione *F* — 10 Melanthius] Melanthius

